Digitized by Google

Petri Angeli Bargæi De privatorum Publicorumq. ædificiorum urbis Romae eversoribus Epist.
- De Dedicationis Obelisci P. Galesinii
- De erigendi dedicandiq. Obelisci et benedicendae Crucis in eo erectae
- Considerazioni di Monsr. Michele Mercati sopra gli Avvertimenti del S. Lelio Latini intorno ad alcune cose scritte nel libro degli Obelischi di Roma Insieme con alcuni supplimenti al medesimo libro.

Digitized by Google

34.7-H-5.1

PETRI ANGELII BARGAEI

De priuatorum, publicorumq; Aedificiorum Vrbis Romę Euerſoribus

EPISTOLA

AD PETRVM VSIMBARDVM
FERDINANDI *Medicis Magni Ducis Etruriæ à Secretis Primum.*

Cum licentia Superiorum.



FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PETRVS ANGELIVS BARGAEVS.

PETRO VSIMBARDO. S.P.D.

PETIS a me, vt tibi ſcribam, quibus argumentis adductus eorum opinionem minus eſſe veram exiſtimem, qui Theatris, Thermis, Circo Maximo, Obeliſcis, Aquęductibus euerſiones ac ruinas, quas in Vrbe Roma videmus, à barbaris nationibus, hoc eſt à Gothis atque à Vandalis illatas, atque editas fuiſſe affirmant: tum vt ad hanc huiuſmodi diſputationem adiungam, quamobrem Hieroglyphicas notas, quas in Commentario de Obeliſco è Græco in Latinum verti, aduerſante Plinij auctoritate, illi Obeliſco potius tribuerim, quem Octauianus Auguſtus D. F. in Circo Maximo poſuit, quam illi, quem Conſtantius Conſtantini F. Imperator ex Aegypto inuectum in eodem loco multis poſt annis ſtatuendum curauit. Ego vero, mi Vſimbarde, quamquam non ignoro vocari me in eam diſputationē, quę, quòd παράδοξος ſit, fortaſſe multos aduerſarios mihi ho-

Digitized by Google

mini minime litigioſo ſit excitatura, tamen, vt intelligas amorem à me tuum ſic amari, nihil vt ſit, quod tu à me iure tuo non modo petere, ſed etiam exigere & poſsis, & debeas, non verebor de tanta re, hoc eſt de tantarum ſubſtructionum ruinis ea in hanc ſcriptionem coniicere, quæ me in eã mentem impulerunt, vt à vulgata omnium opinione diſſentirem. in quo, ſi quod conabor, minus præſtare fortaſſe potero, ego me eo prouerbio conſolabor, quo docemur πάντα τὰ καλὰ εἶναι δύσκολα. nam, vt hoc non ſuccedat, nulla certè reprehenſio tam illuſtrem & periculoſum conatum conſequetur. Etenim, vt poeta valde bonus teſtatum reliquit.
„ *In magnis voluiſſe ſat eſt.* Quid autem maius ac difficilius eſſe poteſt, quàm inueteratam, atque in omniũ animis penitus defixam opinionem conuellere? quod tamẽ tantum abeſt, me vt à propoſito deterreat, vt ad liberandam à calumnia tam inuictam atque illuſtrem nationem acrioribus etiam ſtimulis vrgeat. Nec tamen is ſum, qui ægrè laturus ſim, ſiquis extiterit, qui argumentationes & coniecturas meas minus probauerit. par enim eſt, vt vnuſquiſque id ſentiat, quod ad veritatem propius accedere in primis arbitratur. Ego certè, cum in eadem eſſem opinione, in qua, niſi fallor, cæteri propemodum omnes verſantur, quærerem q; illuſtrium Scriptorum auctoritates, quibus huiuſmo-
di

di opinionem firmiter ſtabilirem, in ea loca incidi, quę me in contrariam partem vel inuitum & nolentem abduxerunt. Atque hæc vt me fortaſſe deceperint, aliis certè ingrata eſſe non debebunt, ſi verum illud eſt ὀυδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντα εἰδέναι: idq́; tanto magis, quòd, quæ à me dicentur, ita dicentur, vt ſiquis meliora in medium attulerit, ei ego ſim non modo acturus, ſed etiam habiturus gratias immortales: quando nullum beneficium ab vllo maius accipimus, quàm cum ab errore liberamur. Sed ne diutius ſuſpenſa, oratione mea, expectatio tua teneatur, ſic ad cauſam aggrediar, vt ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον ad propoſitas mihi abs te quæſtiones reſpondeam. Cum igitur Hieroglyphicas illas notas ex Hermapione Latinè interpretarer, atq; Ammiani auctoritatem ſecutus Obeliſco illi tribuerem, quem Auguſtus in Circo Maximo poſuerat, non ignorabam me id facere, quod in dubium ab aliquo reuocari poſſet, qui apud Plinium, cùm de duobus Obeliſcis Auguſti loquitur, hęc verba legiſſet.
,, *Inſcripti ambo rerum naturæ interpretationem*
,, *Aegyptiorum opere philoſophiæ continent*. Quis enim tam hebes eſt, qui non intelligat, hæc ſi vera ſunt, illud falſum eſſe, quod Ammianus teſtatur? Neque ego tam parum in legendo diligens exiſtimari aut debeo aut poſſum, qui cum totum illud caput interpretatus in Commentarium meum

De Obeliſco retulerim,ea verba vel imprudens vel oſcitans preterierim,quę ſe etiam aliud agenti legẽda offerebant. Sed cum viderem me eò eſſe adductum, vt aut cum Ammiano, aut cum Plinio ſentirem,placuit,vt ab illo potius,quam ab hoc ſtarem. neq; huiuſmodi conſilij mihi eſſe reddendam rationem cenſui, quod neq; Pliniũ libenter accuſabam, neq; longior in diſputãdo eſſe volebam,quàm Cõmentarioli illius ratio poſtularet. At Plinius doctior,quàm Ammianus. quis negat? ſed idem tamẽ, vel eorum culpa,quorum opera in admirabili illo opere cõficiendo vtebatur,vel ſcribendi feſtinatione,& rerũ multitudine,quas memorię prodendas ſuſceperat,obrutus,atq; ipſemet à ſe ipſo abductus,à cõpluribus in tradenda rerum veritate parum conſiderate verſatus eſſe exiſtimatur: vſq; adeo,vt vulgo etiam Plinius quodã quaſi peculiari cognomento Mendax nominetur. Quamobrem hac quidem in re ſequi Ammianum malui,nec,vt verum fatear, eum me ſecutum eſſe adhuc pœnitet. quãdo vt hoc facerem plures cauſſę impulerunt. Vna,quòd locũ Plinij.cum ex veterum codicum collatione,tum ex ipſa verborum inter ſe cõſtructione corruptum eſſe animaduertebam. Quid enim eſt? *Inſcripti ambo*
„ *rerum naturæ interpretationem Aegyptiorum opere*
„ *philoſophiæ continent*. An fortaſſe ſic interpretabimur? vt dicamus continet rerum naturę interpretationem

tionem opere Aegyptiorũ philoſophię. pręclaram verò verborum cõſecutionem, & Pliniana ſubtilitate & breuitate dignam, in qua explicãda ſiqui ſibi vehementer placuerint, ſuum illis in interpretando acumen & iudicium non inuitus relinquo. Altera cauſſa eſt, quod Aurelius Caſsiodorus lib. tertio Variarum ſcribit in ambobus Obeliſcis, qui ſunt in Circo Maximo, altero Auguſti, altero *Conſtantij ſacra Priſcorum Chaldaicis ſignis, quaſi literis indicari.* Quòd ſi verum eſt Priſcorũ theologiã in ambobus illis obeliſcis deſcriptam eſſe; pręterquam quòd neceſſariò ſequitur, Plinij locũ aut corrupte legi, aut id memoriæ prodere, quod falſum eſt, id etiã neceſſariò cõcluditur, Hermapionis interpretationem Cõſtantiano Obeliſco nullo modo tribui poſſe. Etenim ſi vt Caſsiodorus teſtatur, eæ Hieroglyphicę notæ theologiã veterem cõplectuntur, Hermapionis autem interpretatio nihil huiuſmodi deſignat, ſine vlla dubitatione concludi poteſt interpretationem illã nihil prorſus ad Obeliſcum Cõſtantianum pertinere. At Plinio potius, quàm Caſsiodoro aſſentiẽdum eſto. Sed ego hac quidem in re illorum neutri magnam fidem habendam eſſe arbitror. quippe quos Vulgi opinionem & famã potius ſequutos eſſe veriſimile ſit, quàm quòd aut ipſi notas illas intelligerẽt, aut aliquẽ haberent, quẽ in Hieroglyphicis interpretãdis conſulerent. Erat planè & Plinio &

Caſsiodoro

Caſsiodoro Hieroglyphicorum vſus incognitus: quod ex Strabone diſcere poſſumus: qui imperãte Octauiano Auguſto Cornelium Gallum in Aegyptum ſecutus eſt. eius hęc ſunt verba ex libro XVII. Τῶν γεογραφ. ἐν δὲ τῇ ἡλιουπόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς. μάλιστα γάρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιὸν φιλοσόφων ἀνδρῶν, καὶ ἀστρονομικῶν. ἐκλέλοιπε δὲ καὶ τοῦτο νυνὶ τὸ σύστημα, καὶ ἡ ἄσκησις. ἐκεῖ μὲν οὖν οὐδείς ἡμῖν ἐδείκνυτο τῆς τοιαύτης ἀσκήσεως προεστώς, ἀλλ' οἱ ἱεροποιοὶ μόνον, καὶ ἐξηγηταὶ τοῖς
,, ξένοις τῶν περὶ τὰ ἱερά. Hoc eſt. *In Vrbe autem Hieropo-*
,, *li ingentes domos vidimus, in quibus ſacerdotes ver-*
,, *ſabantur, ferunt enim hanc olim fuiſſe ſedem ſa-*
,, *cerdotum, hominum ſcilicet philoſophiæ, atque*
,, *aſtronomiæ deditorum. quorum ordo & ſtudium*
,, *hac quidem ætate funditus interiit. quamobrem*
,, *nemo illic nobis oblatus eſt, qui huiuſmodi diſcipli-*
,, *nam profiteretur, ſed ſacerdotes tantum, & qui ſa-*
,, *crorum ritus hoſpitibus commonſtrarent.* Hęc Strabo. è quibus haud difficillime colligi poteſt id, quod ſupra eſt à nobis dictum, vſum ſcilicet Hieroglyphicorum ea ętate ſacerdotibus etiam Aegyptiis ignoratum fuiſſe. Philoſophia enim & Aſtronomia iis notis deſcripta occulebatur. quas cum intelligeret nemo, nemo etiã ſupererat, qui apud Aegyptios de iis facultatibus loqui poſſet. Itaque idem Strabo eodem in loco παρηκολούθει δὲ (inquit) τις ἐξ Ἀλεξανδρείας ἀναπλέοντι εἰς τὴν Αἴγυπτον Χορνηλίῳ Γάλλῳ ἡγε-

μόνι

μόνι χαιρήμων τοὔνομα προσποιούμενος τοιαύτην τινὰ ἐπιστήμην, γελώμενος δὲ τὸ πλέον ὡς ἀλαζὼν καὶ ἰδιώτης. Hoc eſt. *Cornelium „ autem Gallum Præfectum ex vrbe Alexandria in „ Aegyptum nauigantem Chæremon quidam ſecutus „ eſt, qui ſe huiuſmodi ſcientiæ cognitione præſtare ſi„ mulabat: ſed ſæpe & ſæpius tanquam glorioſus oſten„ tator & imperitus à nobis ridebatur.* Hæc Strabo. e quibus Chęremonem percipimus hominem fuiſſe quibuſdam perſimilem, qui in Regum & Principum aulis verſantes, nihil cum ſciant, nihil tamen ſe neſcire profitentur. is igitur Cornelio Gallo, vt veriſimile eſt, pollicitus ſe ſe omnia, quę Hieroglyphicę notæ complecterentur, declaraturum, vaniſsimus eſt inuentus. id enim (niſi planè fallor) ſignificant ea verba προσποιούμενος τοιαύτην τινὰ ἐπιστήμην hoc eſt, qui ſe tali quadam ſcientiæ cognitione inſtructum eſſe ſimulabat, ideſt inſtructum cognitione Hieroglyphicorum, quibus philoſophia apud Aegyptios continebatur. Neque enim ſimpliciter ad philoſophię profeſsionem referri ea vel poſſunt, vel debent, cum & Diodorus Siculos, & Strabo, viri cum in omni doctrinarum genere, tum in philoſophia & mathematicis præſtantes adeſſent, qui quod ad huiuſmodi facultates pertinet, hominem primo ſtatim congreſſu aperire potuiſſent. Nihil eſt igitur dubitandum, quia ex his verbis pro comperto habere nos oporteat,

regnante Auguſto D. F. fuiſſe fermè neminem, à quo Hieroglyphicę notę intelligerentur, vt mirum non ſit, ſi ij, qui Auguſti ætatem conſecuti ſunt, cum in maxima rerum obſcuritate, quod ad Hieroglyphicorum cognitionem pertinet, verſarentur, alij aliter eadem de re loquerentur & ſcriberent. id quod ſi & Plinio, & Caſsiodoro accidiſſe exiſtimabimus, haud omnino longè à veritate aberraſſe videri poterimus. alter enim rerum naturę interpretationem, alter Priſcorum ceremonias & ritus ad religionem pertinentes iis Hieroglyphicis contineri ſcribit, quę in ambobus Circi Maximi Obeliſcis inſcripta ſunt. Ergo aut vterq; aut certè alteruter deceptus eſt. Vt, etiam ſi conceſſerim Hieroglyphicorum notitiam ad Plinij, & Caſsiodori ætatem perueniſſe, tamen, quia neceſſe eſt vel hunc, vel illum ignoraſſe quid ſcriberet, quando in eadem re diuerſa ſentiunt, ſine vlla reprehẽſione ab vtroque diſſentire libere poſſum. cum pręſertim habeam alium ducem, quem ſequar Ammianum ſcilicet Marcellinum, qui & Hieroglyphica ipſa ex Hermapionis libro interpretatur, & in Auguſti D. F. obeliſco eſſe inſcripta teſtatur. Cuius hęc ſunt verba. *Secutaq́; ætates alios tranſtulerunt: quorum vnus in Vaticano,*
„ *alter in hortis Salluſtij, duo in Auguſti monumento*
„ *erecti ſunt. Qui autem notarum textus obeliſco*
„ *inciſus*

inciſus eſt veteri, quem vidimus in Circo, Hermapionis librum ſecuti interpretatum literis ſubiecimus Græcis. quæ verba quis tam hebes eſt, qui non videat ſic eſſe explicanda? vt ſecutas ætates dicat, quæ Auguſti, non quæ Conſtantij ætatem, qua ipſemet Ammianus vixit, conſecutæ ſunt. vt hominis ſit parum omnino perſpicacis, exiſtimare Ammianum eo in loco corruptum eſſe. Etenim ſi ipſe Conſtantianum Obeliſcum ſtatui vidit, qui fieri poteſt, vt ſecutas ætates eas intelligamus, quæ ipſius auctoris ætatem conſecutę ſunt? At inter hęc verba, & eũ locum, in quo ſupra de Octauiani Auguſti Obeliſcis loquitur, ea interiecta ſunt, quę ad Obeliſcum Conſtantianum pertinent, vt dubitare nos cogat, quas ætates deſignet. ille vero, ſi ab homine attento & illud agente legatur, non modo non cogit, ſed ne patitur quidem. Quoniam igitur imperante Auguſto D.F. duo tantũmodo Obeliſci Romam inuecti fuerant, quorum alterum in Circo Maximo, alterum in Campo Martio Auguſtus ſtatuerat, enumeratis Obeliſcis, qui poſt ætatem Auguſti in Vrbem ab aliis fuiſſe importatos ſciebat, ad Auguſti Obeliſcum reuertitur, qui trecentis quadraginta annis & amplius ante Conſtantianum, Obeliſcum in Circo Maximo locum occupauerat: vt non inepte hunc Auguſti Obeliſcum, Veterem Obeliſcum appellet, nam & ipſum Octauia-

num Auguſtum *Veterem principem*, & Obeliſcum Conſtantianum *recentem obeliſcum* ſuperius appellauerat, quem ipſe ſcilicet ſtatui in Circo viderat. par igitur erat, vt Auguſti obeliſcum veterem obeliſcum nominaret. addidit autem IN CIRCO ne eum intelligeremus, quem in Campo Martio ab eodem Auguſto ſtatutum

„ ſupra dixerat. Nam qui legunt *Veteri quem vi-*
„ *demus in Circo*. Velim mihi dicant, quis nam auctor apud Latinos, vel Græcos Circum Maximum, Veterem Circum appellauerit? quando etiam ipſemet Ammianus ſupra ſcriptum
„ reliquit. *Quorum vnus in Circo Maximo, al-*
„ *ter in Campo locatus eſt Martio*. Quamquam ne ſic quidem locum corrumpentes, quod vo-
„ lunt aſſequuntur. Nam vt legatur, *Veteri quem*
„ *videmus in Circo*, apertè tamen ſignificat ſe lo-
„ qui non de Conſtantij, ſed de Auguſti Obeliſco. Nam ſi Conſtantianum intelligi voluiſſet, iam non *videmus*, ſed quemadmodum antea, *Recens in Circum adductum*, vel *Recens in Circo ſtatutum vidimus*, dixiſſet. Etenim ſi ea vox *Veteri* ad Circum adiungatur, vt de Conſtantiano Obeliſco Auctor loqui exiſtimetur, aut otioſa ſit neceſſe eſt, aut ideo illic poſita, vt Obeliſcum Auguſti illinc excludat. Verum ego ineptus, qui haſce pueriles ineptias, & ni-

mis

mis anxiè quæſitas lucubrationis meæ reprehendendę occaſiunculas tam ſubtiliter perſequar, & ſtudioſe refellam. quaſi verò cuiquam paulo eruditiori dubium eſſe poſsit, quod dicimus, cum rerum ordo, & hiſtoriæ contextus, & verborum conſecutio apud Ammianum huiuſmodi ſit, vt, qui ſecus, hac quidem in re, quam nos, exiſtimauerit, callidus potius calumniator, quàm diſertus interpres haberi debeat. quando neceſſe habet verba apud illum Auctorem peruertere, & totum illum locum, quem alij integerrimum eſſe iudicant, corruptum eſſe dicere, vt, quam maxime cupit, ſententiam non conficiat ille quidem, ſed quaſi per ſpeciem oblatam ſomniet. Nam ſi nobis licet, vt noſtra ſtabiliamus, veteres auctores, quorum ſcripta ad nos peruenerunt, vel peruertere, vel negligentię, vel vanitatis nomine ſine vllo probabili argumento non ſolum habere ſuſpectos, ſed etiam quaſi indicta cauſſa condemnare, iam nihil tam abſurdum eſſe poterit, quod palàm atque apertè profiteri, atque aſſerere nequeamus. Sed quorſum hęc tam multa? nempe, vt hanc cauſſam ſemel perorem, & orationem meam ſic concludam, vt, poſtquam nulla ætas eſt tam fœlix, quæ ſuos non habeat Chæremones, & Bauios, liberum vnicuique eſſe velim

in quaque

in quaque re id ſentire, quod maxime probauerit. nam vt ego in eadem ſententia conſtantiſsime permaneo, ita nihil prohibeo, vt alij, quod ſemel ſenſerunt, quo iure, qua'ue iniuria pertinaciſsime tueantur, ac defendant. Suum enim cuique pulcrum eſt: & ita ſe res habet, te tua, me delectant mea. Neque ego eam prouinciam ſuſcepi, vt ſimię perſuadeam, ne ſimiis ipſa ſuis turpiſsimis ſcilicet beſtiis tãtopere delectetur. Nam quod Conſtantianũ Obeliſcum à Cõſtantino eius fratre fuiſſe in Vrbe Heliopoli in Solis templo humi depoſitum, & Alexandriam deuectum in Commentariolo illo meo ſcripſerim, nihil eſt, quòd quiſquam me grauius reprehendat. cum enim haberem neminem, quem ſequerer, pręter vnum Ammianum, ea de re ſic loquentem, vt percipi minime poſsit, Conſtantinum ne patrem, an Conſtantinum filium fuiſſe dicat, qui Obeliſcum illum demolitus fuerat, ego Conſtantino filio huiuſmodi demolitionem tribuendam putaui. Quando idem Ammianus id à Conſtantino factum fuiſſe memorat, quòd eum Obeliſcum in Vrbem Romam importare, & illic tanquam in totius Orbis terrarum templo ſtatuere & conſecrare decreuiſſet. id quod in Conſtantinum patrem parum conuenire mihi videbatur, cum ille non Romam, ſed Byzantium vrbem ornandam ſuſcepiſſet, quam etiam ex ſuo ipſe nomine Conſtanti-

nopolim

nopolim appellari voluiſſet. Hac igitur conie-ctura ductus, vt mihi quidem videtur, ſatis probabili, Conſtantinum filium Conſtantis & Conſtantij fratrem eius demolitionis auctorem feci. inuenta deinde atque è terrę latebris eruta eius Obeliſci baſe atque inſcriptione, falſum eſſe patuit, quod de Conſtantino filio ſuſpicatus fueram, vt neſcio cui facillimum fuerit inuentis frugibus glandium vſum reprehendere. tum oportuit ſcriptionem meã reprehendi, cum ea Inſcriptio nondum in lucem prodierat. quamquam, vt Conſtantinum patrem eius demolitionis auctorem fuiſſe cõſtet mirandum tamen non eſt, ſi, nemo mihi hac in re facem cum prętulerit, ego in tantis tenebris aliquid offenderim, & dum eum quæro, qui, Obeliſcus ille vt deponeretur, curauit, ſi in ipſius filium incurrerim. profectò ego Dauus eram, non Oedipus, qui, vter eorum illud opus aggreſſus eſſet, diuinare ac ſtatuere poſſem. in quo tamen ſi hoc meum peccatum memorię peccatum eſſe dicerem, cauſſam meam illuſtrium Scriptorum exẽplo & auctoritate, Ariſtotelis, Ciceronis, Plinij, tueri poſſem; quorum μνημονικὰ ἁμαρτήματα complura memorantur. nunc autem non memorię, ſed rerum obſcuritati tribuendum dico: ſi patris factum filio attribuerim. Sed quid ſi eius Inſcriptionis auctorem hiſtoriam eorum temporum non ſatis no-

tam

Digitized by Google

tam & explicatam habuiſſe oſtendero? obſtabit ne quidquam, quamobrem ab illo diſſentiendum, ac diſcedendum eſſe non putem? Eius hi ſunt Hexametri.

„ *Hoc decus ornatum genitor cognominis Vrbis*
„ *Eſſe volens cæſa Thebis è rupe reuellit.*

Hic ſine vlla dubitatione auctor inſcriptionis teſtatur Obeliſcum illum Conſtantini patris iuſſu è rupe Sienę & cęſum & reuulſum. id quod falſum, plenumq; erroris eſt. quemadmodum ex Ammiani XVII. libro didicimus, cuius hæc ſunt verba.

„ *Et quia ſufflantes adulatores ex more Conſtantium,*
„ *id ſine modo ſtrepebant, quòd cum Octauianus Au-*
„ *guſtus Obeliſcos duos ab Heliopolitana ciuitate tranſ-*
„ *tuliſſet Aegyptia, quorum vnus in Circo Maximo,*
„ *alter in Campo locatus eſt Martio, hunc recens aduectum difficultate magnitudinis territus nec contre-*
„ *ctare auſus eſt, nec mouere. diſcant qui ignorant, ve-*
„ *terem principem tranſlatis aliquibus hunc intactum.*
„ *ideo reliquiſſe, quòd Deo Soli ſpeciali munere dedica-*
„ *tus fixuſq; intra ambitioſi templi delubra, quæ con-*
„ *tingi non poterant, tanquam apex omnium eminebat. Verum Conſtantinus id parui ducens auulſam*
„ *hanc molem ſedibus ſuis, nihilq; committere in religionē rectè exiſtimans, ſi ablatum vni templo miraculū*
„ *Romæ ſacraret, id eſt in templo Mundi totius, iacere*
„ *diu perpeſſus eſt, dum tranſlationi pararentur vtilia.*

Hoc

Hoc Ammiani teſtimonio Auctor Inſcriptionis conuictus diſcedat neceſſe eſt. quamquam,ſi paulo conſideratior fuiſſet, non tam temerè inſcribendum id curauiſſet, quod refutari ac refelli facillime poterat. nam, pręterquàm quòd multos tum fuiſſe in Vrbe Roma veriſimile eſt, qui eum Obeliſcum Heliopoli ſtantem viderant, abſurdum etiam exiſtimari poterat, Conſtantinum excindi eam molem, & in ipſa Hieroglyphicas notas inſcribi voluiſſe, cùm & multos obeliſcos paratos haberet, quos ex Aegypto Romam auheheret: & imperante Conſtantino nulli ſupereſſent, quemadmodum oſtendimus,qui Hieroglyphicorum notitiam haberent: &, vt ſupereſſent, Conſtantinus tamen Latinis vel Gręcis potius,quę vulgo intelligebantur,quam Aegyptiacis notis,quarum notitiam vel nulli prorſus, vel certe pauciſſimi habebant, ſui memoriam poſteris commendari voluiſſet. imperite igitur quiſquis eorum carminum auctor fuit, hiſtoriam de Obeliſco Conſtantiano nobis deſcripſit. In qua prӕterea non parùm peccaſſe exiſtimari poteſt, quòd memoriæ prodidit Conſtantinum patrem ideo obeliſcum illum excidendum curauiſſe, quòd Byzantium deferri vellet,cùm ex Ammiani hiſtoria conſtet humi depoſitum à Conſtantino fuiſſe, vt Romam inueheretur, ibiq; tanquam in communi omnium

gentium templo collocaretur. Quamobrem nihil video cur ille vera, ego falſa de huiuſmodi Obeliſci demolitore dixiſſe exiſtimari debeam. neque enim quemquam eſſe arbitror, qui neſcio cui (vt Fabiano verbo vtar) verſificanti maiorem fidem habeat, quam hiſtoriȩ ſcriptori ſi non latinitatis, veritatis quidem in primis obſeruanti. Verum ἅλις non modò δρυός, ſed λεπτολογημάτων ne dicam λεπτολεσχιῶν: in quas ego propterea ſum ingreſſus, quòd vererer, ſi eas ſilentio præteriſſem, ne quis exiſtimaret me non quidem eas contempſiſſe, ſed cauſſȩ diffiſum erratum agnouiſſe meum. taciturnitas enim, vt ille inquit, imitatur confeſsionem. Ergo his omiſsis πρός τὸ πρότερον reuertamur. Verùm, vt eò, quò intendimus, ſine errore perueniamus, primùm conſtitui neceſſe eſt, quoties factum eſt, vt Roma à Gothis ac Vandalis capta ac direpta fuerit, & quibus potiſsimùm temporibus hoc ipſum acciderit. Et ſanè ſi Paullo Oroſio viro integerrimo, & Procopio hiſtoriȩ ſcriptori vel in primis graui, qui, Gotthis Italiam obtinentibus, floruit, & apud Belliſarium, non ſolum medicinam fecit, ſed etiam rebus gerendis præfuit, credi oportet, quin quies omnino contigit, vt ea Vrbs ab iis nationibus intra centum & triginta ſex annos per vim occuparetur, ab Alarico, à Genſerico, à Ricimere, à Totila, qui bis eam & cepit & diripuit. trecentis

autem

autem ac ſexaginta annis poſt eas calamitates ab Arnulfo Germanorum Rege obſeſſa illa quidem & capta eſt, ſed tamen, quod ad publicorum ædificiorum, & ſubſtructionum ruinas pertinet, nihil omnino incommodi paſſa eſt. Satis enim ſuperq; ille habuit à Fortunato Pont. Max. Auguſtum appellari, atque inungi, & populum Romanum iure iurando ſibi deuincire. quod cum feciſſet, Roma incolumi relicta diſceſsit. Ac primùm quidem anno à Chriſto nato CCCCX. Alaricus ab ſe per dolum captam ſpoliauit. Qui omnium primus poſt Radagaſum in Italiam irrupit, & cum acceptis ab Honorio Imp. conditionibus in Galliam ſe conferret, iamq;, vt nonnulli memorant, ad Cottias Alpes perueniſſet, Stiliconis exercitum, qui illic, vt Gotthos exciperet, in inſidiis deliteſcebat, magna occidione deleuit. iratuſq; Honorio ob violatam fidem iter conuertit: & vaſtata magna & celeberrima Italiæ parte, Romam etiam cepit, ac diripuit. Qua in re tantum abfuit, vt dolori ſuo paruerit, atque iracundię ſeruierit, quòd tamen iure belli facere potuit, vt inſignis etiam cuiuſdam continentiæ, & incredibilis erga Deum pietatis exempla ediderit. cum tamen ſine reprehenſione in populum momanum acerbiſsime ſęuire potuiſſet. Fuerat enim ab Honorio ſtipendiis, quæ vnà cum exercitu meruerat, fraudatus: deinde ſimu-

lata pactione Galliarum per inſidias appetitus: vt ſtipes, ac truncus exiſtimari deberet,niſi omnibus, qui Honorio parebant,iratiſsimus veniſſet. At ille Romã ingreſſus edicto cauit, nequis aut Virginẽ, aut Viduam,aut honeſtam alioqui mulierem viola ret: ne'ue quenquam attingeret,qui in ſacram aliquam Aedem confugiſſet: Vtq; à cędibus,quantum fieri poſſet,oẽs temperarent. Potuit ne quicquam vel humanius vel mitius ab eo deſiderari,qui vel Vrbem amicam ac ſuam per vim expugnatam in poteſtatem redegiſſet? Ac libet hic & ipſius Alarici,& totius exercitus factum cõmemorare, quod incredibilis in Chriſtianum nomen pietatis indicium ad æternum eius nationis decus ſic tum conſtitutum eſt,vt è piorũ memoria deleri nunquam oporteat. Atq; vtinã qui noſtra ætate eandem Vrbem hoſtes ab ſe expugnatam depopulati ſunt,huiuſmodi exẽplũ ſibi ante oculos poſuiſſent: qui Chriſtiani cum eſſent, nihil ſibi tamen reliquum ad crudelitatem, atque impietatem fecerunt, cum ij neq; ſacrarum, neque profanarum Virginum, neque honeſtiſsimarum mulierum pudori pepercerint, cum promiſcue ciuium ſedes, ac Sanctorũ templa diripuerint, cædibuſq; omnia compleuerint. Sed his omiſſis, quę à grauiſsimis ſcriptoribus & reprehenſa', & complorata ſunt, pulcherrimum illud Gotthorum factum ex Paullo Oroſio in hanc ſcriptionem

noſtram

12

noſtram transferamus. Sed ne forte aliquid de meo addidiſſe hic exiſtimer, Oroſij ea de re teſtimonium ſic recitabo, vt paululum in melius commutatis verbis ſententiam religioſe ſeruauerim.

„ *Barbaris*, inquit, *Vrbem paſsim diripientibus, quidam ex iis domum vſui diuini miniſterij dedicatam ingreſſus eſt; cumq́ illic mulierem iam natu grandem reperiſſet, quæ Deo Opt. Max. virginitatẽ ſuam iam inde ab ineũte ætate cõſecrauerat, atq́ ille non modo nobilitate inter Gotthos excelleret, ſed etiam Chriſtianus eſſet, per ſummam modeſtiam ab ea poſtulare inſtitit, vt, quicquid auri argentiq́ haberet, palam proferret. quod cum mulier abſe peti audiuiſſet, ſic dicto paruit, vt ingentiũ opum vim magnã in apertũ contulerit, ea erant vaſa ex auro argentoq́ tum pondere tum pulchritudine mirabiliter conflata, quæ cũ Barbarũ operis artificio obſtupefactum intueri virgo illa animaduertiſſet. Petri, inquit, Apoſtoli cultui ſacra hæc inſtrumenta ſunt. auferto, ſi libet, ac de facto tu videris. Ego enim, quia prohibere, quominus id tu facias, non poſſum, neq; reſiſtam neq; conatus tuos refutabo. Hæc Barbarus cũ audiſſet, & iniecta ſibi religione ad venerationem cõmotus eſſet, Alarico Regi per nuntium ſignificauit, At ille ad Apoſtoli ædem vaſa omnia quamprimum referri, & non modo Virginem ſed reliquos etiã omnes, qui ad eam ſe adiunxiſſent ſtipantibus pompam militibus incolumes reduci iuſsit.*

Ea

„ *Ea domus in media Vrbe poſita longè à Vaticano*
„ *aberat. inde cum ſingulorum capitibus ſingula vaſa*
„ *eſſent impoſita, longo, ac pulcherrimo ad videndum*
„ *ſpectaculo ad Baſilicam ſic deportari capta ſunt, vt*
„ *vtrinq; cõglobati milites cum exertis ad defenſionem*
„ *gladiis piam illam pompam comitarentur & muni-*
„ *rent: hymnoſq; Deo Optimo Maximo Romani, ac*
„ *Gotthi ſimul canerent, quibus permulti, qui ſe in la-*
„ *tebras coniecerant, exciti ad eos prodeuntes concur-*
„ *rebant, iiſq;, quo plures ad talem comitatum confu-*
„ *gerent, eo alacrius barbari defenſores circunfunde-*
„ *bantur.* *His Oroſius poſtquam admiratione obſtu-*
pefactus acclamauit, alia ſubiicit, quæ hæc ſunt.
„ *Tertia die Barbari, poſtquam Vrbem ingreſſi fue-*
„ *rant, nulla vi coacti, ſed iudicio ipſi ſuo, ac volunta-*
„ *te diſcedunt, aliquot tantummodo ædibus incendio*
„ *abſumptis, multo tamen paucioribus, quam quæ an-*
„ *no ab Vrbe condita DCC. ſubitò factis, & fortuitis*
„ *ignibus arſerunt.* Hęc Oroſius, quorum adſtipu-
lator eſt Caſsiodorus libro XII. Variarum, Epi-
„ ſtola XX. cum ait. *Nam cum Rex Alaricus Vr-*
„ *bis Romæ deprædatione ſatiatus Apoſtoli Petri vaſa*
„ *ſuis deferentibus excepiſſet, mox vt rei cauſſam co-*
„ *gnouit, ad Sancti Petri Baſilicam ipſorummet dire-*
„ *ptorum manibus deportari iuſſit, vt cupiditas, quæ*
„ *prædandi auiditate flagitioſe peccauerat incredibili*
„ *ſanctimonia commiſſum ſcelus expiaret.* Ex his,

etſi

Digitized by Google

etſi Paulo aliter, quam ab Oroſio commemorantur, tamen qui Gotthorum in diripienda Vrbe placabilitatem, atque clementiam non ſuſpexerit, eum eſſe oportet omnium affectionum animi, quibus ad vltionem & crudelitatem impellimur, expertem. At ij multas domos incendio abſumpſerunt. quis negat? neque enim victor exercitus, & iniuria affectus contineri potuit, quin reſiſtentibus Romanis, & arma contra ferentibus, & cædes committeret, & in ædificia ignem iniiceret. Sed vt aliquot domus conflagrauerint, certè Thermę, Theatra, atque Obeliſci trium dierum ſpatio ab iis vaſtari, ac deiici non potuerunt, præſertim in Vrbis direptione occupatis. Atque hoc quàm verum ſit Iornandes in eo libello, quem De Rebus Geticis ſcriptum reliquit, his verbis teſtatur.
„ *Poſtremo* (inquit) *Romam ingreſsi* (de Gothis lo-
„ quitur) *Alarico ita iubente Vrbem modo ſpoliant*
„ *ab incendiis abſtinent, neque vllam Sanctorum Ae-*
„ *dibus iniuriam fieri patiuntur.* Idemq; in eo libello quem de Regnorum, & temporum ſucceſsione
„ in lucem dedit. *Alaricus* (inquit) *Rex Vuiſegot-*
„ *thorum vaſtata Italia Romam ingreſſus eſt, opeſq;*
„ *Honorij Auguſti prædatus Placidiam eius ſororem*
„ *captiuam abduxit. quam poſtea Ataulpho ſucceſſori*
„ *ſuo moriens in matrimonium coniungi iuſsit.* Vides igitur quàm non inſolenter, immò quàm manſue-

tè

tè Gotthi in ea direptione ſe geſſerunt. Quem quidem primum Vrbis caſum circiter XVLIV. annis pòſt altera conſecuta eſt calamitas, quam eadem Vrbs à Vandalis capta magnam atque improuiſam accepit. Vt autem caperetur hæc cauſſa fuit. Imperabat Romæ Valentinianus eius nominis tertius. Is cum Maximi viri opibus, & copiis potentiſsimi vxorem deperiret, neque illius potiundę, quòd pudiciſsima eſſet, ſpem vllam haberet, hanc huiuſmodi rei conficiendæ rationem excogitauit. Maximum ad ſe euocat: euocatum teſſerarum ludo prouocat ea pactione, vt ſi ipſe vinceretur, Maximo certam auri ſummam perſolueret: ſin vinceret, annulum, quem Maximus geſtabat, ipſe auferret. iactis teſſeris Valentinianus annulo potitur: eumq; ad Maximi vxorem Maximi ipſius nomine perferendum curat, iubetq;, vt ea ſtatim viſo annulo ad Imperatoris vxorem ſalutandam ſe conferat. Illa verò cum paruiſſet nuntio, atq; ita ad ædes Imperatoris perueniſſet, ab eius facti conſciis non quidem ad Eudoxiam, ſed ad Valentinianum perducta eſt, & ab eo conſtuprata. amiſſa igitur pudicitia domumq; inde ſuam reuerſa Maximo rem omnem detegit, hominemq; ad vindictam cuhortatur. qui tantam iniuriam vlciſci eum ſtatuiſſet, nequid temerè feſtinandi facinoris, quod animo conceperat, cupiditate

com-

committeret,bono eſſe animo Vxorem iubet,ipſe interea ſuis artibus Aetium rei bellicę peritiſsimum & magno animo & virtute virum,cuius ductu Valentinianus Attilę conatus & copias repreſſerat, ac profligauerat, Valentiniano affectati imperij nomine ſuſpectum facit. ille, quòd alioqui tanti Ducis virtutem non parum pertimeſceret, Aetium de medio tollendum curat. quo ſublato Maximus Valentinianum nihil tale cogitantem aggreſſus obtruncat; atque imperium inuadit. & quoniam eius vxor iam antea deceſſerat, Eudoxiam Valentiniani vxorem in matrimoniũ,quamquam inuitam & recuſantem ducit. eamq; ſibi vt conciliet, fatetur ſe amoris erga illam ſui magnitudine atque impatientia victum,auctorem fuiſſe, vt Valentinianus occideretur: atq; ea, quam perditiſsimè amabat quo iure, qua'ue iniuria potiretur. At Eudoxia ſimulans ſe non inuitam in eo matrimonio eſſe, nuntium ad Genſericum Vandalorum Regem mittit, qui tum Carthagine regnabat, eumq; ad occupandam, ac deprędandam Vrbem Romam inuitat & cohortatur. Genſericus oblatam occaſionem non aſpernatus, maximam claſſem ædificandam inſtruendamq; quamprimùm curat,in eamq; exercitu conſcendere iuſſo ſic nauigauit, vt Romam de improuiſo oppreſſerit. quod quidem cum accidit Maximum Ro-

mani fugientem inimice inſectantur, ac ſaxis facta lapidatione obruunt, ac membratim diſcerptum in Tiberim proiiciunt. Genſericus Eudoxia vnà cum Eudocia & Placidia, quas Valentinianus ex Eudoxia ſuſceperat, ac pręterea gazam omnem imperatoriam in Aphricam, ac tegularum, quę & ex ære conflatę fuerant, & inauratę, è Capitolini templi tecto partem dimidiam ablatam vnà cum ſtatuis, quas demolitus fuerat, vt iis Carthaginem ornaret, ſecum auehit, quatuordecim tantum dies in Vrbe moratus. quamquam illa, antequam in Aphricam deferrentur, facto naufragio perierũt omnia. Hæc de Roma à Genſerico capta, ac direpta ſcribit Procopius libro III. De bello cum Vandalis geſto. Vt conſtare facile poſsit Vandalos in auehenda pręda occupatos tempus conſumere non potuiſſe in ædificiis, & ſubſtructionibus, quas hodie humi deiectas, ac proſtratas paſſim videmus, euertendis. Neque enim veriſimile eſt Procopium, & Vandalis parum æquum, & earum calamitatum, quę iis temporibus acciderunt, nõ indiligentem Scriptorem, ſilentio pręteriturũ fuiſſe, ſi illi ad hanc faciem euerſam Vrbem reliquiſſent. quemadmodum teſtari videtur Iornandes in libro De Rebus Geticis cum ait. *Valenti-*
„ *nianus Imp. dolo Maximi occiſus eſt. & ipſe Maxi*
„ *mus tyrannico more regnum inuaſit. quod audiens*
„ *Gen-*

„ *Genſericus Rex Vandalorum ab Aphrica armata*
„ *claſſe in Italiam venit, Romamq́; ingreſſus cuncta de*
„ *uaſtat*. Id quod ego ex Chronico Caſsiodori ſic
interpretor, vt Romam opibus ſpoliatam, non au
tem euerſam, & dirutam intelligat. ſic enim Caſ-
„ ſiodorus: *Valentiniano VIII. & Anthemio Coſſ.*
„ *in Campo Martio ab amicis Aetij Valentinianus oc*
„ *ciditur. poſt quem Maximus inuaſit Imperium.*
„ *qui intra duos menſes à militibus extinctus in Tibe-*
„ *rim proiicitur, Eodem anno per Genſericum omni-*
„ *bus opibus ſuis Roma vacuata eſt*. Hęc ex Caſsio-
dori Chronico. Is autem annus fuit ab accepta Salute CCCCLV. Tertius verò, poſt Alaricum Gotthorum, & Genſericum Vandalorum Regem, Ricimer Sueuus extitit, qui anno Salutis CCCCLXXII. Vrbem & cępit & diripuit, ſic tamen, vt pręda contentus ædificiis pepercerit. Qua quidem in re probanda ea perſequi, quæ in coniectura poſita ſunt, vbi certiſsimis argumentis rem demonſtrare, &, vt dicitur, quaſi τενεδίῳ πελέκει controuerſiam dirimere poſsis, hominis eſt alieno otio & facilitate nimium licenter abutētis. Ergo totam hanc ſuperiorem diſputationem ex temporum ſucceſsione, atque ex hiſtoriæ veritate concludamus. Alaricus Gotthus Romam cepit, ac diripuit Anno à Chriſto nato CCCCX. Genſericus Vandalus CCCCLV. Ricimer

Sueuus CCCCLXXII. Theodericus autem Amalus Gotthorũ rex, cuius extat epiſtola prima Caſsiodori ad Anaſtaſiũ Imp. regnare in Italia cæpit Anno Salutis CCCCXCIII. ætate igitur & Alarico, & Genſerico, & Ricimere poſterior. Is Aurelio Caſsiodoro epiſtolarum magiſtro vſus eſt, homine in primis graui. apud quem certiſsima extant teſtimonia, quę palàm clamant, nullum fuiſſe Romæ publicum ædificium neq; à Gotthis, neque à Vandalis, qui eam Vrbem ceperant, ac diripuerant, euerſum. At primùm quidem ex epiſtola LI. libri tertij Variarum conſtat, Circum Maximum regnante Theoderico non minus fuiſſe integrum, quàm cùm Romę priores illi Cæſares Remp. regebant. oſtiorum, quæ duodecim; metarum, quæ ſeptem erant, numerum neq; auctum, neque minutum: non Euripum, non Obeliſcos defuiſſe, quorum vnus Soli, Lunę alter ſacratus eſſet.
„ *Euripus* (inquit) *maris vitrei reddit imaginem:*
„ *vnde illic delphini æquorei aquas interfluunt. Obeli-*
„ *ſcorum quoque altitudines ad Cælum extolluntur:*
„ *ſed potior Soli, inferior Lunæ dicatus eſt. vbi ſacra*
„ *Priſcorum Chaldaicis ſignis quaſi literis indicantur.*
Hæc ille. ac mox vnà cum Circo deſcriptis ſpe-
„ ctaculis, quę in Circo edebantur, ſubiicit. *Hæc nos*
„ *coacti fouemus ne defuiſſe videamur populorum in-*
„ *ſtantentiſs ime nos rogantium poſtulatis, quibus pro-*
poſitum

„ *poſitum eſt ad ea conuenire; dum cogitationes ſerias*
„ *abiiciunt*. Et mox epiſtolam ſic concludit. *Qua-*
„ *propter largiamur expenſas: non ſemper ex iudicio*
„ *demus. expedit interdum deſipere, vt populum poſ-*
„ *ſimus deſideratis gaudiis oblectare*. Ergo poſt Vr-
bem ab Alarico, à Genſerico, & à Ricimere dire-
ptam, non ſolum Circus Maximus intactus reman
ſerat, ſed ludi etiam ſtatis temporibus à Populo
Romano exercebantur. Iam verò neque in aqua
rum ductuś, neq; in Thermas fuiſſe ab iiſdem Got
this, ac Vandalis ruinas editas, idem Caſsiodorus
epiſtola ſexta libri VII. Variarum teſtatur, cuius
partem hic ſubſcribemus, vt adeundi Caſsiodori
„ laborem legentibus demamus. *Nam thermarum*
„ *illa pulchritudo quid eſſet, ſi dulciſsima quadam aquo*
„ *ra non haberet? fluit aqua Virgo tam pura, vt nos ma*
„ *gnopere delectet: quam ideo ſic appellatam credimus,*
„ *quòd nullis ſordibus polluitur. nã cum alia maximis*
„ *imbribus, ac turbulentis tempeſtatibus & riuis vio-*
„ *lentur, hæc aerem perpetuò ſerenum puriſsimè labens*
„ *vnda mentitur. quis poſsit talia ſermonibus idoneis*
„ *explicare? Claudiam per tantam faſtigij molem ſic*
„ *ad Auentini caput eſſe perductam, vt cum ibi ex*
„ *alto lapſa ceciderit, cacumen illud excelſum quaſi*
„ *imam vallem irrigare videatur*. Et paulo poſt.
„ *Qua de re per Indictionem illam, Comitiuam ti-*
„ *bi formarum ſub magna deliberatione credimus;*

vt ſummo

„ *vt ſummo ſtudio nitaris efficere, quod tantis ac tali-*
„ *bus rebus expedire videris. In primis noxias arbo-*
„ *res, quæ ruinas ædificiis afferunt. (ſunt enim quidam*
„ *quaſi arietes, non illi quidem, qui illuc importentur,*
„ *ſed qui ad proſternenda mœnia per ſe adnaſcuntur)*
„ *cenſemus radicitus amputari oportere ſiquid autem*
„ *conficiente ſenio procubuerit, peruigili charitate re-*
„ *paretur.* Hæc ille & multo plura ex eadem epi-
ſtola à nobis prętcrita, quæ luce clarius demon-
ſtrant Gotthos, ac Vandalos, qui multis annis an
te quàm Theodericus in Italia regnaret, Vrbem
Romam diripuerant, iniuſtè accuſari, quòd Ther
mas, & Aquęductus euerterint. neque me mouet,
quòd idem Caſsiodorus libro XII. Epiſtola XX.
de Alarico ſic loquatur, vt tantarum ſubſtructio-
num exciſionis & ruinę condemnare illũ videatur.
„ *Sed quid mirum* (inquit) *ſi Sanctorum vaſa diripe*
„ *re noluit, qui tanta ſe Vrbis vaſtatione ditauit?*
Etenim hic Caſsiodorus vaſtationem pro depo-
pulatione, ac rapina vſurpauit, neque id ſine exem
„ plo. Cicero orat. II. In Catilinam. *Quid enim*
„ *expectas? bellum? quid? ergo in vaſtatione omnium*
„ *tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas?* In hanc
autem ſignificationem huiuſmodi vocem accipi
oportere apud Caſsiodorum loco ſupra à nobis
citato illud oſtendit, quòd verbum ditauit ad va-
ſtationem adiunxit. neque enim ſe ditant, qui ædi-
ficia

ficia vel igne abſumunt, vel ferramentis, ac vectibus humi deiiciunt, ſed qui locupletum domos auro, argento, gemmis ſpoliant, atque ex ærario pecuniam omnem auferunt. eſt ergo illic vaſtatio pro direptione poſita. nam alioqui Caſsiodorum ſibi non conſtare, ex iis, quę ſuperius recitata ſunt, pareret, mentiri etiam temporum ratio & veritas ipſa ex hiſtoria petita conuinceret. qui enim fieri potuit, vt vel Alaricus, vel Genſericus, vel etiam Ricimer ea ædificia vaſtauerit, hoc eſt euerterit, ſi tanto poſt tempore eadem Thodericus vt integra, & à nemine, niſi à vetuſtate paululum labefactata deſcribit? Nam quod ad Aquęductus pertinet, nulli dubium eſſe poteſt, qui Procopium legerit, quin illi neque à Gotthis, neque à Vandalis diruti non fuerint. is enim libro primo De bello Gotthorum ſic ſcriptum reliquit. *Quamobrem Gotthi rebus ad hanc rationem diſpoſitis, ædificia omnia, quibus aqua in Vrbem deuehitur, interſcindunt, ne inuecta obſeſsis copiam ſui faceret. Sunt autem Romæ quatuordecim omnino aquæductus, ex latere ſubſtructi, ea latitudine, ac profunditate, vt hominem equo inſidentem facile capiant.* Ergo Gotthi, qui Vittige Duce Romam obſidebant aquæductum interſcindunt, ne aqua in Vrbem influat. Vittiges autem interfecto Theodahado, qui Amalaſuntę Theoderici filię in Vulſinenſis lacus inſulam

lam relegatę, atque ibidem interfectę in regnum ſucceſſerat, in Italia regnabat. ex quo neceſſario concluditur Aquęductus nuſquam fuiſſe vel euerſos vel corruptos à Gotthis & à Vandalis, qui ante regnantem Theodericum, & Vrbem a Vittige obſeſſam, Vrbem ab ſe expugnatam diripuerant. At Vittiges dum obſidione Vrbē premeret, aquęductus omnes euertit. interſcidit ille quidem atque interrupit, non etiam euertit. & interſcidit ne aqua obſeſsis ſuppeditaretur: quod ſex ſeptem' ue ex Aquęductu demptis lateribus fieri facillime potuit. Atque hoc tamen illi facere licuit in ea Aquęductuum parte, quę extra Vrbem erat: nam quæ Vrbis ambitu & mœnibus includebatur, cùm Vrbem non ceperit, ab illo certè euerti non potuit. Reliquum nunc eſt, vt, poſtquam Circum Maximum, Thermas, & Aquæductus non fuiſſe à Barbaris euerſos, ac dirutos oſtendimus, qui Alarico, Genſerico, ac Ricimere ducibus Vrbem diripuerant, quiq; Vittigem ſecuti eandem obſederant, oſtendamus etiam eoſdem theatris ſic pepercisse, vt quod ad illos pertinet, nihil prohibuerit, quo minus, ea ad nos integra peruenerint. quod quo facilius probemus eiuſdem Caſsiodori teſtimonium ex Epiſtola L I. libri I V. Variarum recitabimus, in qua Theodericus rex Symmachum Patricium theatro his verbis curatorem pręficit.

Et ideo

,, *Et ideo* (inquit) *theatri ſubſtructionem magna ſe*
,, *mole ſoluentem conſilio veſtro ſtatuimus eſſe roboran*
,, *dam: Vt, quod ab auctoribus veſtris in ornatum pa-*
,, *triæ conſtat eſſe conceſſum, non videatur ſub meliori-*
,, *bus poſteris imminutum. quid non ſoluas ò ſenectus,*
,, *quæ tam robuſta quaſſaſti? montes facilius cedere pu*
,, *tarentur, quàm ſoliditas illa quateretur: quando &*
,, *moles ipſa ſic tota de cautibus fuit, vt præter artem*
,, *additam, & ipſa quoque naturalis eſſe crederetur.*
Hæc Theodericus rex. ex quibus facile apparet
theatrum non à barbaris exciſum, ſed aliqua ex
parte vetuſtate labefactatum fuiſſe. itaque idem
,, Rex his verbis epiſtolam concludit. *Et ideo ſiue*
,, *maſculis pilis contineri, ſiue tale ædificium refici po-*
,, *tuerit, expenſas vobis de noſtro cubiculo tribuendas*
,, *curauimus, vt & vobis acquiratur tam boni operis*
,, *fama; & noſtris temporibus videatur antiquitas de-*
,, *centius innouata.* Theodericus igitur non quod
vel Gotthi, vel Vandali Vrbis direptores, ac ve-
xatores diſſoluerant, ſed quod ſenectus & tempo-
ris diuturnitas conquaſſauerat inſtaurandum, &
ſtabiliendum curauit. His ita conſtitutis, nemi-
nem fore puto barbaris illis tam inimicum, qui
Alaricum, & Genſericum, & Ricimerem à culpa
euerſę Vrbis non liberet. Reſtat modò eiuſdem
criminis reus Totilas: quem annis circiter vno
& viginti poſt Theoderici exceſſum Gotthi inter-

fecto Ararico regem ſibi creauerunt, hominem non modò rei militaris in primis peritum, ſed, quod dictu mirabile ſit, humanitate, clementia,& incredibili erga Deum pietate cum quouis ex veteribus comparandum. Ille Neapoli, quam diu obſederat,in poteſtatem redacta,cum iure belli in eos, qui ſe inuiti dediderant, crudeliter animaduertere poſſet, non modò cunctis pepercit, ſed etiam ſummam curam adhibuit,vt ex medicorum præcepto priſtinam valetudinem, ex diuturna fame amiſſam, & profligatam recuperarent: omneſq; mox viatico etiam adiuuit, & eò, quò maximè vellent, vt ſe reciperent permiſit: Ille familiarem ſuum, quem propter excellentem in re militari virtutem magnopere diligebat, cum is Virgini cuidam in Vrbis Neapolis direptione ſtuprum intuliſſet, capite plecti iuſsit, eiuſq; bona omnia virgini donauit. Ille hoſtium vxores,nobiles fœminas à ſe captas ad viros ſuos nulla planè iniuria affectas reducendas curauit. Ille denique cum Vrbem Romam euertere, ac ſolo æquare ſtatuiſſet, idque ſe facturum Romanorum Legatis multo ante denunciauiſſet, cùm primùm Vrbem victor ingreſſus eſt, ad Aedem Petri Apoſtoli ſupplex ſe contulit, ac Pelagij Pontificis precibus ab ira ad clementiam cõuerſus Gotthis per edictum imperauit, vt à cędibus abſtinerent. quod ita reli-

gioſè

gioſè obſeruatum eſt, vt Ruſticianam Symmachi filiam,& Boetij vxorem, quæ,vt patrem & virum Theoderici regis iuſſu interemptos vlciſceretur, Theoderici ſtatuas deturbandas curauerat, cum eam Gotthi ad cædem expoſcerent, incolumem ſeruaret, neque illi iniuriam vllam fieri paſſus eſſet. Sed quorſum hęc tam multa pertinent? ad ea ſcilicet, quę poſtea conſecuta ſunt. Nam cum ille vrbem victor obtineret,eaq; vt ſolo æquaretur è Gotthorum imperio eſſe exiſtimaret à Belliſario per literas admonitus tam immanem cogitationem prorſus abiecit. His enim verbis Belliſarius
„ epiſtolam ſuam concludit. *His ita ſe habentibus*
„ *rectè velim intelligas è duobus alterum fore neceſſa-*
„ *rium. aut enim hoc bello victus ipſe ſuccumbes: aut,*
„ *ſi ita fortè contigerit,nos ſuperabis. Quòd ſi viceris,*
„ *& Romam euerteris, iam non alterius Vrbem, ſed*
„ *tuam deleueris. quam ſi ſeruaueris, ex poſſeſſione cæ-*
„ *terarum omnium præſtantiſſima opulentior fiet. Sin*
„ *autem ad deteriorem fortunam tuam res nobis ſuc-*
„ *ceſſerit, Roma incolumi abs te conſeruata gratia tibi*
„ *apud victorem conciliabitur,& non mediocris. Qua*
„ *per te tum forte deleta nullus tibi relinquetur ad hu-*
„ *manitatem conſequendam, & clementiam locus.*
Et quæ ſequuntur. Huic epiſtolę à Belliſario ad
„ Totilam ſcriptę ſubiicit Procopius. *His literis*
„ *Totilas diligenter perlectis, & vt prudentiſſime mo-*

„ *nentibus aſſenſus Vrbem nullo affectam damno ſer-*
„ *uauit, deq́; hac ſua in eam voluntate per oratores*
„ *certiorem Belliſarium fecit.* Qua de re poſtea cum Romam à Belliſario in Iuſtiniani poteſtatem redactam iterum Totilas oppugnaret, à Gotthorum primariis obiurgatus eſt, cum illum temerè feciſſe dicerent, quod cum Vrbem Romam cepiſſet, eam funditus non euertiſſet. Ex his igitur Procopij locis ſcire poſſumus, Vrbem Romam non fuiſſe, neque incendio abſumptam, neque eius tertiam partem à fundamẽtis euerſam à Totila, quod plerique, ſine certo tamen auctore, tradiderunt. quorum opinionem, neſcio quam ob cauſſam, ſecutus Blondus hiſtoriam à Procopio hac de re diligenter perſcriptam peruerterit. Nam eum Procopius Romam à Totila ſeruatam fuiſſe ſcribat, ac tantummodo circiter tertiam murorum, quibus cingebatur, partem humi proſtratam: Blondus ab eodem incenſam, euerſam, & deſolatam memorat. Collenucius autem annum & amplius ab omnibus incolis planè derelictam fuiſſe auctor eſt: id quod quemadmodum factum eſſe non inficior, ita cum Procopio affirmo Vrbem non fuiſſe
„ euerſam. Eius hæc ſunt verba. *Romam in primis*
„ *à fundamentis euertere decreuit, ſed muri tantum,*
„ *& id quidem diuerſis in locis diruit, quantum totius*
„ *muri partem eſſe hanc tertiam coniicere quis poſſit.*

Mox

Mox ſubiicit Totilam, vt paulo ante oſtendimus, pelleᶜtis Belliſarij literis omnem cogitationem de euertenda Vrbe abieciſſe, & eam integram, ſed omnibus habitatoribus vacuam reliquiſſe; quippe qui delectos patricios quaſi obſides ſecum ire, reliquos autem omnes cum liberis, & coniugibus in Campaniã proficiſci iuſſerit. Ergo, ſi Procopio credimus, deſerta quidem ac derelicta Roma eſt, ſed tamẽ nõ euerſa. Nam, ſi euerſa eſſet, nihil erat, cur poſtea Belliſarius ad eam occupandam feſtinaret. neque, vt ſupradiximus, tantæ Vrbis excidium Procopius, qui apud Belliſarium huiuſmodi bello interfuit, tacitus præteriſſet. Cur enim tam turpi mẽdacio hiſtoriam ſuam dehoneſtaret?
„ *Vrbem* (inquit) *nullo affectam damno integram ſeruauit*. hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet, nullum in ea ædificium vel publicum vel priuatum euertit. At, ſi Collenucio & Blondo credas, omnia fuere illic ſolo æquata, omnia à fundamentis euerſa fatearis neceſſe eſt. Vtris autem fidem potius habeas Blondo ne & Collenucio, qui nongentis annis & amplius à Totila abfuerunt, an Procopio, qui regnante in Italia Totila floruit, rebuſq; ab ipſo & Belliſario geſtis interfuit, ac Romã ipſam pręſens pręſentem, atque in re pręſenti videre potuit? pręterquàm, quòd, ſi mentiretur, infinitos teſtes tum habuiſſet, à quibus huiuſmodi mẽdacium redar-

redargueretur. nunc autem eius ætatis ſcriptores nulli ſunt (quod ego ſciam) qui Procopium teſtimonio ſuo vanitatis condemnent. cuius ego auctoritatem, hac quidem in re, recentiorum omnium ſcriptorum, qui ab illo diſſentiunt, auctoritati lõgè anteponendam cenſeo. præſertim cum ex recentioribus etiam ſcriptoribus minime deſint, qui à me ſtent. Bernardinus Corius Paullum Diaconum ſecutus in Iuſtiniani Imperatoris Vita ſic fer-
„ mè ſcriptum reliquit. *Totilas noctu Romam in-*
„ *greſſus, loco certo cum exercitu conſtitit: indeq́; conti*
„ *nuato vſque ad illuceſcentem diem tubarum clan-*
„ *gore, Romanis, quos ipſe ſaluos eſſe cupiebat, ſignum*
„ *dedit, vti omnes ſe in ædes ſacras reciperēt, quo facto,*
„ *aliquot dies in Vrbe ſic commoratus eſt, vt Romanos*
„ *omnes perinde ac filios benignè tractauerit.* Hęc Corius. è quibus omnibus confidentiſsime aſſeuerare poſſumus, Totilam in ea Vrbis direptione ſic ſe geſsiſſe, vt amicus potius Romanis, quàm hoſtis in Vrbem & acceſſerit & diſceſſerit. At dixerit fortaſſe aliquis Vrbem ipſam fuiſſe à Totila tunc euerſam, cum iterum ab eodem capta eſt. Ego vero eum, qui hoc obiecerit, aut in legenda hiſtoria parum verſatum eſſe, aut hominem memoria non ſatis bona præditum exiſtimabo. Nam Procopius eodem tertio libro ſic ea de re ſcriptum reli-
„ quit. *Miſerat Totilas ad Francorum Regem Le-*

gatos,

„ *gatos, qui ab eo peterent, ſibi vt filiam in matrimo-*
„ *nium collocaret, quod ille ſe facturum præciſe nega-*
„ *uit. eum enim nec Italiæ regem tum eſſe, nec futurum*
„ *poſtea dixit: quippe qui captæ Vrbis, cuius ipſe par-*
„ *tem euerterat, poſſeßionem retinere non potuiſſet.*
„ *qua reſponſione Totilas commotus, ſumma diligen-*
„ *tia commeatus in Vrbem importari, ac reſarciri, in-*
„ *ſtaurariq́; omnia confeſtim iußit, quæ vel ignibus ab-*
„ *ſumpta eſſent, vel ipſemet euertenda curauiſſet.*
Hæc Procopius, quæ & ipſe etiam Blondus memorię prodidit extremo libro ſexto primę Decadis. Ergo (inquit aliquis) ex Procopij verbis proxime citatis apparet Totilę iuſſu aliqua ædificia in Vrbe euerſa eſſe. Ego verò, quamquam interpretor Totilam ea refeciſſe, quę fortuiti ignes abſumpſerant, etiam antequam ipſe Vrbem cepiſſet, quamq; murorum partem ipſemet diruerat, non auſim tamen negare & in priore & in poſteriore hac Vrbis direptione id accidere potuiſſe: præſertim cum ingreſſus in Vrbem Totilas neceſſe habuerit, & cum Romanis acerrime reſiſtentibus prælium committere, & Adriani molem oppugnare, in quam equites CCCC. ſe receperant. Sed vt hoc alicui nimis pręfractè ſententiam ſuam defendenti concedamus, conſtat tamen ex eodem Procopij loco, mox omnia fuiſſe ſumma diligentia reſtituta, vt parietinę, quę hodie paſsim in Vr-

be Roma conſpiciuntur, neque Totilæ, neq; ipſius exercitui tribui debeant. Nam quòd Francorum Rex Vrbis partem à Totila euerſam dicit (vt & ego quoque ſententiam meam tuear) duobus modis intelligi poteſt. Vno, vt criminis augendi cauſſa iis verbis rem amplificet: altero, vt partem Vrbis appellauerit eam muri partem, quam & ipſe etiam Procopius à Totila humi diuerſis in locis proſtratam ſuperius dixerat. Et ſanè Francorum Rex, cum ab ſe iure optimo Totilę affinitatem repudiatam eſſe ſignificare vellet, quòd neque tunc Italię rex eſſet, neque in futurum eſſe poſſet, id obiecit, quod conatus irritos, & vires Totilę imbecillas in primis declararet. is enim tertiam murorum partem euerterat, ne Romam hoſtes ingreſsi mœnibus preterea ſe tutarentur, Gothoſq; excluderent, ſed vt æquo ſe ac patenti campo credere cogerentur. quod cum ſecus eueniſſet, quam Totilas exiſtimarat, ac voluerat, cùm à Gotthorum principibus, vt ſupra commemorauimus, tùm à Francorum Rege malè audiit. Sed vtcumque ſit id certè, quod in Vrbe vel ſua, vel aliorum culpa dirutum fuerat, in priſtinam formam quamprimùm reuocauit. quemadmodum & Blondus, & Procopius teſtatum reliquerunt. quòd (vt puto) ſibi ipſe perſuaſiſſet iure illum Italiæ regem vocari non poſſe, qui regni, atque imperij

perij ſedem Romam nulla ex parte comminutam, ac deformatam non obtineret. His igitur ſic ſe ha bentibus, nihil obſtat, quo minus ſecundùm Gotthos, & Vandalos, qui ſoli ex barbaris Vrbem diripuerunt, ſententiam dicamus. In quem igitur euerſę Vrbis culpam conferemus? abſolutis enim Gotthis, ac Vandalis, cum poſtea præter Arnulphum Germanum, de quo ſupra locuti ſumus, nulli Romam ceperint, difficillimum eſt coniectura aſſequi, & quaſi diuinare, vnde nam factum ſit, vt tot ingentia ædificia, tot ciuium domus, tot immanes ſubſtructiones corruerint. Et primùm quidem, quod ad priuatorum domos, atque ædificia pertinet, haud difficillima eſt (vt mihi quidem videtur) diuinatio. Nam & incendiis fortuitis, quod non ſemel in Vrbe Roma eueniſſe legimus, & de induſtria oblatis, cum orta ſeditione ciues inter ſe pugnant, abſumi potuerunt. Scimus autem celeberrima oppida, & florentiſsimas Italiæ Vrbes ſuſcitatis in iis Guelforum, quos appellant, & Gibellinorum partibus, ſic deſertas, ac derelictas fuiſſe, vt ne veſtigia quidem earum extent vlla. pręterea vel morbo, vel bello ſublatis familiis, vel ad inopiam redactis, cum reliqui eſſent nulli, à qui bus inhabitarentur, mirum videri non debet, ſi vel vetuſtate, vel ſitu corruptæ ſubſederint. quod quàm verè à me dicatur ex S. Gregorij Dialogis

intelligi poteſt, in quibus ille ſcriptum reliquit, Romę deficientibus incolis parietes etiam ipſos corruere. poſt cuius ætatem veriſimile eſt Vrbem ipſam deſertiorem fuiſſe: cùm præſertim Pontificatu in Galliam tranſlato populum Romanum ad miram infrequentiam, & paucitatem deueniſſe non ignoremus. quo ſcilicet tempore potentiſsimi quiq; & in primis opulenti relicta Vrbe in ſuis ſe oppidis continebant. Quid quod ciues ipſi partim Pontificibus, partim Imperatoribus fauentes, cum ſe mutuis cędibus, & vaſtationibus vlciſcerentur, & infenſiſsime perſequerentur, neceſſario ſequebatur, vt euerſis domibus Vrbis aſpectum miſerabilem redderent. id quod cum ſæpe aliàs, tum Gregorio eius nominis VII. Pont. accidiſſe hiſtorię teſtantur. Is ab Henrico IV. Imp. & à Populo Romano obſidebatur incluſus in Adriani mole, quod Sancti Angeli Caſtellum vocant. qua quidem in obſidione Germani, qui Vaticanum, & Tranſtiberinam Vrbis partem occupauerant, ſæpe traiecto Tiberi ingentibus damnis Vrbem affecerunt. maioribus etiam affeciſſent, niſi Robertus Normannus opem obſeſſo Pontifici maturè attuliſſet. Cuius virtute & viribus Henricus perterritus obſidionem ſoluit, ſeq; tanta celeritate ex Vrbe proripuit, vt non prius Robertus Portam Flaminiam attigerit, quàm ille Senas peruenerit.

Romani

Romani tamen ingredienti in Vrbem Roberto cum ſe hoſtiliter oppoſuiſſent, in Capitolium reiecti ſunt ſic, vt ignibus in domos iniectis à Porta Flaminia vſque ad Campum Martium omnia conflagrauerint. Ac tum fortaſſe accidit, vt Obeliſcus, quem illic ab Auguſto D. F. poſitum fuiſſe ſcimus, quemq; iacentem humi, ac detectum ſuperioribus diebus vidimus, ſemiuſtulatis Hieroglyphicis totus deformaretur. Normanni certè cum in Celium ſe recepiſſent, indeq; in Romanos eruptiones facerent, quicquid inter Celium, & Capitolium eſt, igni ferroq; abſumpſerunt, cliuumque Capitolinum, depulſis inde Romanis, ac ſecum abducto Gregorio, incenderunt. probabile autem eſt eo in certamine, & conflictu multorum domos, atque ædificia corruiſſe: quæ mox variis de cauſſis refici minime potuerunt. Neque ineptus exiſtimari quis poſsit, qui bonam magnamq; ædificiorum partem terræ motibus conquaſſatam, & euerſam fuiſſe contendat. Nam, & S. Gregorius cap. XV. libri II. Dialogorum ſcribit, Canuſij Antiſtitem aliquando ſe ad S. Benedictum Abbatem viſendum contuliſſe, &, cum in ſermonem de Totila, qui tum Gotthis imperabat, & bello Græcos, ac Romanos perſequebatur, incidiſſet, futurum dixiſſe, vt Roma à barbaro illo euerteretur: Benedictum autem reſpondiſſe; Illa verò non à Barbaris

excindetur, ſed à tempeſtatibus, à fulguribus, à turbinibus, à terræmotibus fatigata interibit. Atque hoc ipſum ſanctiſsimi hominis oraculum idem Gregorius paulo pòſt affirmat exitu ipſo fuiſſe comprobatum cum ait. *Cuius prophetiæ myſteria nobis iam facta ſunt luce clariora, qui in hac Vrbe diſſoluta mœnia, euerſas domos, deſtructas Eccleſias turbine cernimus, eiuſq; ædificia longo ſenio laxata: quæ ruinis crebreſcentibus proſternuntur.* Et homilia XIIX. in Ezechielem. *Quia enim* (inquit) *Senatus deeſt, populus interiit, iam vacua ardet Roma. quid autem iſta de hominibus dicimus, cum ruinis crebreſcentibus ipſa quoque deſtrui ædificia videamus?* Hæc Gregorius, cuius teſtimonio fidem non habere nefas ſit. Nam, prȩterquàm quòd vitæ ſanctitate excellebat, ac patriæ ruinas magno animi cum dolore prȩſens præſentes intuebatur, nihil etiam habebat, cur in re omnibus nota turpiter mentiretur: &, quod à barbaris patratum eſſet, id ad tempeſtates, & terræmotus transferret. probabile igitur eſt his omnibus de cauſsis Romȩ multa ædificia cum priuata, tum publica ſic humi procubuiſſe, vt aut poſtea reſtituta fuerint nunquam, aut eorum parietinæ tantum ſuperfuerint. Verumenimuerò, vt terræmotus, & turbines multa proſtrauerint,

Circum

Circum certè Maximum, & Thermas, & Theatra non vlla vi tempeſtatum, ſed hominum opera fuiſſe diruta cognoſcimus. quando neque vlla conquaſſationum indicia, quę à terręmotu relinqui conſueuerunt, in Theatris perſpiciuntur: & in Thermis ab Antonino Caracalla, vel à Diocletiano exædificatis, parietes ſaxo ad inferiorem ſui partem à fabris exciſo, & comminuto concidiſſe ſic patet, vt, qui ab hominibus euerſos eſſe negauerit, iure optimo odiosè obſtinatus haberi & poſsit & debeat. Quod ſi externæ nationes, quemadmodum ſupra oſtendimus, in has ipſas ſubſtructiones non ſęuierunt, quoſnam earum euerſores fuiſſe autumabimus? an in ipſummet Populum Romanum culpam conferemus? at ille tanta Vrbis ſuæ ornamenta, & decora nunquam ſuſtuliſſet. An, vt plerique cenſuerunt, Sancto Gregorio tantarum molium euerſionem tribuemus? at probabile non eſt, hominem Romæ ſummo loco natum, patriæ amore flagrantem, omnis doctrinæ, & veterum hiſtoriarum cognitione excellentem, ad ea delenda animum induxiſſe ſuum, quæ maiorum ſuorum præſtantiam, & Imperij Romani magnitudinem quaſi viuam conſeruarent, & aſpectu ipſo tum peregrinis, tum ciuibus talem tantamque, qualis & quanta olim fuerat repræſentarent.

Hęc

Hęc ego non ignoro doctos homines illis obieciſſe, qui tantarum demolitionum auctorem, & ſuaſorem Pontificem illum prodiderunt, qua quidem in ſanctiſsimi hominis defenſione ita vehementer exarſerunt, vt Statuarum, Obeliſcorum, Theatrorum, Thermarum, Circorumq; euerſiones, & ruinas improbum facinus appellare non dubitauerint, ad quod committendum Gregorius cum vir humaniſsimus, tum patrię ſuę ciuis amantiſsimus adduci ſe nunquam pateretur. Ac ſanè fuit tempus, cum ego quoque mihi perſuaſeram nullo modo concedi oportere, vt in Pontificem tam eruditum, & ab omni virtutum genere paratiſsimum huiuſmodi crimen (ſi modo crimen appellandum eſt) deriuaretur. itaque non mediocriter eos accuſabam, qui, vt mihi quidem tum videbatur, tam falſam opinionem, non modo ipſi habuiſſent, ſed etiam in aliorum animis hominum penitus inſeuiſſent. Verum ego poſtea veterum Patrum libris aliquanto diligentius, & lectis, & obſeruatis, intellexi me quaſi vnum ex iis eſſe, qui in Gentilium ſcriptis aſsidue verſati, ſic eorum monimenta & res geſtas cum admiratione adamare conſueuerunt, vt parum abſit, quin illius quoque ętatis Deos ſibi eſſe colendos ſtatuant. Quid enim aliud prǽſeferunt, qui Signorum, & Statuarum euerſores tam acerbè reprehendendos eſſe putãt?

quam-

quamquam enim Gregorius, & illuſtri loco Romę erat natus, & liberalium facultatum ſtudio excellebat, idem tamen, pręterquamquod Pontificatui præerat, Chriſtianę etiam pietatis amore ſic flagrabat, vt tum demum verum ſe patrię amatorem eſſe crederet, cum è ciuium omnium animis gentilium Deorum memoriā extirpaſſet, inq; eorum locum Chriſti Liberatoris noſtri cultum introduxiſſet. An ille, vt antiqui operis Signa retinerentur, permittere debuit, vt exuta Chriſtiana pietate homines ſe ad impietatem, & Gentilium ritus referrent? neque enim ignoramus hoc ipſum ante Gregorium ſępe fuiſſe à Romanis tētatum, cùm multi eſſent, qui Remp. in tot tantaſq; calamitates incidiſſe dicerent, quod abiecto Deorum cultu, Chriſti cultum, & religionem ſuſcepiſſent. id quod auctore Auguſtino, Lactantio, Arnobio, Oroſio, Prudentio, cęteris ita conſtat, vt putidum ſit in re tam clara teſtimoniis vti. Etenim vſquè adeò altas Gentilitatis error in animis hominum radices egerat, eas vt extirpare, ac reuellere ſanctiſsimi Patres, ac Pontifices non niſi difficillime poſſent. quare non modo non reprehendendi, ſed etiam magnopere laudandi ſunt, ſi ipſi Deorum ſimulachra vel comminuenda, vel demolienda curauerunt: quæ ſuo ipſorum aſpectu in hominibus impię ſuperſtitionis cultum quotidie renouabant,

&

& Chriſtianæ pietatis igniculos, ſiqui à patribus accenſi fuerant, extinguebant. Fuiſſe autem bonam magnamq; partem Deorum Signa, quę euerſa ſunt, inde intelligimus, quòd publicè nullis ferè ſtatuę decerni conſueuerant, niſi iis, qui propter præclara in Remp. merita eo honore non indigni eſſe crederentur: priuatim autem, qui aut domi, aut in ſepulchris, aut in hortis ſibi vel ſuis ſtatuerent, haud ſanè multos, niſi ex nobilitate, qui huiuſmodi honorem ſibi ambitioſiſsimè expetebant, extitiſſe, ex eo coniicere poſſumus, quòd quę hodie humi obrutę reperiuntur, omnes fermè vel Veneres, vel Apollines, vel Ioues, vel Mercurij, vel Bacchę, vel Satyri, vel aliud quidpiam huiuſmodi ſunt, quod aut ad eam ſuperſtitionem, aut ad aliquam Gentilitatis fabulam pertineret. Vt mirum videri non debeat, ſi in demoliendis euertendiſq; huiuſmodi Signis, quæ plurima erant, ea quoque humi deiecta ſunt, quæ pręſtantibus virtute viris poſita fuerant. Nam ſi ad delendum ex hominum memoria Deorum cultum in impietatis monimenta ſęuiendum erat, difficillimum profectò fuit cauere, ne vnà cum huiuſmodi ſimulachris illuſtrium virorum ſtatuę deiicerentur..quarum tamen ingentem numerum à Genſerico Vandalorum Rege, vt in Aphricam, & à Conſtante Conſtantini, & Gregorię filio, vt in Siciliam auehe-

herentur,

herentur, ſublatum fuiſſe legimus: quarum illę in mari Aphrico, hę in freto Siculo aduerſis tempeſtatibus demerſę ſunt. Illę etiam, quæ in Adriani mole & plurimæ, & pulcherrimę ſpectabantur, quo tempore Vittiges Gotthorum Rex Romam obſidebat, in fragmenta ab obſeſsis diffractæ ſunt, & in obſeſſorum oppugnatorumq; capita deuolutę. Vt hęc huiuſmodi Statuarum euerſio iam non in vnum Pontificem Gregorium, ſed in Vandalos, in Gręcos, in Romanos ipſos conferri debeat. Vt igitur quęſtionem hanc concludamus, quantum coniectura aſſequi poſſumus, exiſtimamus ſtatuas omnes, quę Gentilium Deos nobis effingebant, partim Gregorij, atque aliorum Pontificum iuſſu, partim à populo ipſo Chriſtiana pietate iamdudum imbuto vel comminutas, vel diſiectas, vel terra obrutas fuiſſe, quo facilius tam nefaria ſuperſtitio funditus tolleretur. quando eam ab humani generis hoſte non ſolum mordicus retentam, verum etiam variis artibus ad ætatem ipſius Gregorij in Vrbe propagatam inde perſpicimus, quòd Bonifacius IV. qui aliquot annis pòſt Gregorium Pontifex fuit, Pantheon Cybeli, ac reliquis Diis Gentium conſecratum, à Phoca Imp. impetrauit, vt ea ſuperſtitione liberatum & expiatum Marię Virgini Deiparę dedicaret. quod certè fieri non oportuit, ſi nullę omnino Gentili-

tatis reliquię ſupereſſe putabantur. piè igitur ſanctéq; tum Gregorius, tum alij Pontifices fecerunt, quibus ita mandantibus, ac ſuadentibus Populus Rom. Deorum Signa vel euertit ipſe, vel ab aliis euerti paſſus eſt. quorum pietatem Pius V. & Xyſtus V. Pōtifices Max. ſic imitati ſunt, vt eorū alter ex ædibus Vaticanis huiuſmodi omnes ſtatuas aliò amandare cogitauerit; Alter è turre Capitolina incredibili ſua cum laude deiici iuſſerit. Quod ſi nunc ferri non debet, vt publicè ſpectentur, cum ſuperſtitionis & impietatis illius cultus nulli planè in animis hominum reſideat, quid tum fieri oportuit, cum multi adhuc ſupereſſent, qui execrabiles illos ritus ceremoniaſq; aut colerent ipſi, aut à maioribus ſuis coli meminiſſent? Ego verò cum ſummi illius, ac ſanctiſsimi Pontificis factum ipſum per ſe præclarum, atque diuinum, tum nobis expoſitum ad imitandum ſtatuo. Atque vtinam idem prętare ſine veteris Hiſtoriæ, ac philoſophiæ bonarumq; artium amiſsione, ac ſine Gręcę & Latinæ linguæ damno in abolendis iis libris potuiſſet, qui tam diræ ſuperſtitionis memoriam ad nos propagauerunt, nihil enim dubito quin idem magno cum Reip. Chriſtianæ bono præſtitiſſet. Patres certè Societatis Ieſu, quos Chriſtianæ pietatis acerrimos, doctiſsimos, ac prudentiſſimos aſſertores nemo non agnoſcit, & prędicat,

prę-

prẹterquamquod Deorum ſtatuas,& imagines in Iapone,vt inſulanos à ſuperſtitione ad Chriſti cul tum deducant,comminuendas & delendas curant, eorum etiam ſcripta importari prohibent, è quibus Gentilium ſuperſtitionem agnoſcere, atque haurire queant. magnum enim momentum ad veram pietatem affert impiorum rituum, ac falſorum dogmatum ignoratio: quorum nullum vix cognoſci poteſt, quin adoleſcentulorum animi fideles, ac ſimplices aliquam labeculam contrahant. Atque hactenus de Statuarum euerſoribus. Deinceps videndum eſt quos nam fuiſſe opinemur, qui Theatra,qui Circum, qui Thermas, qui Aquęductus,& Obeliſcos exciderit,& antiqui operis intactum nihil in Vrbe propemodum reliquerit. Cumq; ex ſuperiore diſputatione perſpicuum ſit nullo modo poſſe huiuſmodi culpam in barbaras, atque externas nationes conferri, operæpretium erit, vt tantarum ſubſtructionum vſum indagemus. illo enim patefacto ac demonſtrato, haud difficillimum fuerit coniecturę de iis faciendæ aditum aperire, & ad veritatem ipſam, quam quærimus, proximè accedere. Atqui nemo eſt veteris memoriæ tam rudis,atque expers, qui iſta neſciat. Ergo vt mihi ſcribendi, cæteris legendi laborem demam,non ad vſum,ſed ad abuſum ante oculos exponendum non pigebit Lactantij verba

ex libro VI. De vero cultu excerpta hic adſcri-
„ bere. *Voluptas* (inquit) *oculorum varia & multi-*
„ *plex eſt, quæ capitur ex aſpectu rerum, quæ ſunt in*
„ *vſu hominum vel natura vel opere delectabiles. Hanc*
„ *Philoſophi rectiſſimè ſuſtulerunt. aiunt enim multo*
„ *eſſe præclarius & homine dignius Cœlũ potius, quàm*
„ *cælata intueri. ſed cum diſertè ad contemptum ter-*
„ *reſtrium nos exhortati ſunt, & ad Cœli ſpectacu-*
„ *lum excitarunt, tamen ſpectacula hæc publica non*
„ *contemnunt, atque his & delectantur, & libenter*
„ *interſunt. Quæ quoniam maxima ſunt irritamen-*
„ *ta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſi-*
„ *me valent, tollenda ſunt nobis: quia non modò ad*
„ *beatam vitam nihil conferunt, ſed etiam nocent plu*
„ *rimum: Nam qui hominem quamuis ob merita*
„ *damnatum in conſpectu ſuo iugulari pro volupta-*
„ *te computat, conſcientiam ſuam polluit, tam ſci-*
„ *licet, quàm ſi homicidij, quod fit occultè, ſpecta-*
„ *tor & particeps fiat.* Et paulo poſt. *Quæro nunc*
„ *an poſſint pij, & iuſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub*
„ *ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tan-*
„ *tum patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntq́ ad*
„ *mortem crudelia, & inhumana ſuffragia, nec vul-*
„ *neribus ſatiati, nec cruore contenti. Quin etiam*
„ *percuſſos iacenteſq́ repeti iubent, & cadauera icti-*
„ *bus diſſipari, nequis illos ſimulata morte deludat.*
„ *iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter è duo-*

bus

„ *bus alter occiſus eſt,& tanquam humanum ſangui-*
„ *nem ſitiant, oderunt moras. alios illis compares da-*
„ *ri poſcunt recentiores, vt quàm primùm oculos ſuos*
„ *ſatient, hac conſuetudine imbuti humanitatem per-*
„ *diderunt. itaque non parcunt etiam innocentibus,*
„ *ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatio-*
„ *ne didicerunt*. Hæc ille de ſpectaculis, in quibus vel in Theatro, vel in Circo gladiatorum munus populo exhibebatur, ac mox ex huiuſmodi diſputatione occaſionem ſumit oſtendendi, non licere Chriſtiano homini homicidã eſſe, quod cum probauit, hæc ſubiicit.
„ *Ergo ſi homicidium facere nul-*
„ *lo modo licet, nec intereſſe omnino conceditur, ne con*
„ *ſcientiam perfundat vllus cruor. ſiquidem populo*
„ *ſanguis ille præſtatur*. Atque his, quæ à Lactantio dicta ſunt aſtipulatur Tertullianus capite IV. De Spectaculis. in quo non minus à pietate, & à Chriſti cultu excidere illum affirmat, qui ſpectator in Theatrum vel in Circum accedit, quàm illum, qui vel Capitolium vel Serapeum ſacrificator vel adorator intrauerit. idem Cęcilius Cyprianus teſtatur in quadam epiſtola Ad Donatum, in qua de huiuſmodi ſpectaculorum immanitate, ac perditiſsima laſciuia ſic diſputat, vt ab eis Chriſtianum hominem longiſsime repellat. vt mirum non ſit ſi Tertullianus Theatrum, propriè ſacrarium Veneris appellet. quando & Lactantius.

In ſcenis

Digitized by Google

„ *In ſcenis quoque* (inquit) *neſcio an ſit corruptela vi-*
„ *tioſior. nam & Comicæ fabulæ de ſtupris Virginum*
„ *loquuntur, aut de amoribus meretricum: &, quo ma*
„ *gis ſunt eloquentes qui vitia illa finxerunt, eo magis*
„ *ſententiarum elegantia perſuadent, & facilius inhæ-*
„ *rent audientium memoriæ verſus numeroſi & orna-*
„ *ti. item Tragicæ hiſtoriæ ſubiiciunt oculis paricidia*
„ *& inceſta Regum malorum, & cothurnata ſcelera*
„ *demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudentiſſimi*
„ *motus quid aliud, niſi libidines, docent, & inſtigant?*
„ *quorum eneruata corpora, & in muliebrem inceſſum*
„ *habitumq́; mollita, impudicas fœminas inhoneſtis ge-*
„ *ſtibus mentiuntur. Quid de Mimis loquar corru-*
„ *ptelarum præferentibus diſciplinam? qui docent adul*
„ *teria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera?*
„ *Quid iuuenes aut virgines faciant, cum & fieri ſine*
„ *pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? ad-*
„ *monentur vtique, quid facere poſſint, & inflamman*
„ *tur libidine, quæ aſpectu concitatur: ac ſe quiſque*
„ *pro ſexu in illis imaginibus præfigurat, probatq́; illa,*
„ *dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad*
„ *cubicula reuertuntur. nec pueri modò, quos præma-*
„ *turis vitiis imbui non oportet, ſed etiam ſenes, quos*
„ *peccare iam non decet, in talem vitiorum ſemitam*
„ *dilabuntur. Circenſium quoque ludorum ratio quid*
„ *aliud habet, niſi leuitatem, vanitatem, inſaniam?*
„ *tanto nanq; impetu concitantur animi in furorem,*

quanto

„ *quanto illic impetu curritur. Vt iam plus ſpectaculi*
„ *exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum excla-*
„ *mare & efferri, & exilire cœperint. Vitanda ergo*
„ *ſpectacula ſunt, non ſolum ne quid vitiorum pectori-*
„ *bus inſidat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent, ſed ne*
„ *cuius nos voluptatis conſuetudo deliniat, & à Deo, at*
„ *que à bonis operibus auertat. Nam ludorum cele-*
„ *britates, Deorum feſta ſunt. ſiquidem ob natales eo-*
„ *rum, vel templorum nouorum dedicationes ſunt con*
„ *ſtituti. Et primitus quidem Venationes, quæ vocan*
„ *tur munera, Sarurno attributæ ſunt: Ludi autem*
„ *ſcenici Libero: Circenſes Neptuno; paulatim verò*
„ *& cæteris Diis idem honos tribui cœptus eſt. ſinguliq́;*
„ *Ludi numinibus eorum conſecrati ſunt. Siquis igi-*
„ *tur ſpecaculis intereſt, ad quæ religionis gratia con-*
„ *uenitur, diſceſſit à Dei cultu, & ad Deos ſe contulit,*
„ *quorum natales, & feſta celebrauit.* Hæc & plura Lactantius; quæ nos docent Theatri, & Circi ſpectacula non ſolùm à piis eſſe fugienda, quòd animos fœdiſsimis vitiis, contaminent, ſed etiam quòd ſpectari non poſsint quin Idololatras nos eſſe fateamur. quo nihil eſſe ſcimus Deo odioſius. Ergo quicunque tandem ij fuerint, qui Theatrum, & Circum euerterunt, gratiſsimum Deo Opt. Max. feciſſe exiſtimari debent. quando, vt auctor eſt Tertullianus, & ipſemet Circus Soli προηγουμένως conſecratus fuerat, & ſingula Circi or-

namenta

Digitized by Google

namenta ſingula erant Deorum templa. Oua,hoc eſt Aedes ad oui ſimilitudinem exædificatę, Caſtori,& Polluci: Delphines Neptuno: Tres arę Diis Samothracibus: Obeliſci Soli & Lunę: Euripus Matri Magnæ adſcribebatur. Apud Metas Conſus ſub terra deliteſcebat. in medio ſpatio Aedes Soli conſecrata viſebatur. cuius faſtigio Solis effigies impoſita ſub Dio longè lateq; collucebat. nec Murtię, hoc eſt Veneris ſimulachrum aberat. Quamobrem nihil illic ſpectari poterat, quod humani generis hoſtis ſibi non vendicaſſet. Etenim pręter hęc, quę & à Caſsiodoro & à Tertulliano commemorantur,P. Victor multas alias Deorum ædes in eadem vndecima regione, quam eandem cum Circo Maximo fuiſſe ſcimus,enumerat, Mercurij ſcilicet, Ditis patris, Cereris, Proſerpinę, Portumni, Herculis, Iunonis, Matutę, aliorum. An hæc omnia cum incredibili Chriſtianę pietatis detrimento ſarta tecta ſeruari oportuit,vt Vrbis ornamento conſuleretur? & quo in loco ſedem vera Religio collocauerat, in eo diræ ſuperſtitionis monimenta ſpectanda fuerant? immò verò ſic abolenda, vt ne veſtigium quidem vllum ſupereſſe pij Pontifices paterentur. Quorum principem maximum illum Gregorium fuiſſe arbitror: tùm quòd tam illuſtre, tamq; pium factum cum eius pietate,ac doctrina conſentit,tum quòd

 30

Aedes ipſe ſuas, quas propè Circum Maximum habebat, cultui diuino dedicauit. præterquamquòd non deſunt, qui affirment Sabinianum, qui Gregorio in Pontificatu ſuccesſit, in animo habuiſſe Gregorij acta omnia reſcindere: quòd ad id agendum à quibuſdam inſtigaretur, qui ægrè ferrent, quòd Signa, quæ pasſim in Vrbe ſpectabantur, deiici omnia & confringi iusſiſſet. id quod nos paulo ante ad ſummam eius Pontificis gloriam fuiſſe verum opinabamur. Cuius opinionis, dum in ipſius vitam, & ſanctitatem intuebor, me nunquam pœnitebit. Ceterum vt ſine vlla dubitatione affirmare poſſe videor, vel Gregorium, vel alium quemuis eorum temporum Pontificem, vel ipſoſmet Romanos, qui Chriſto Deo ſe addixerant, piorum patrum cohortatione, atque inſtinctu concitatos, Theatrum, & Circum euertiſſe, ita etiam eoſdem fuiſſe arbitror, quorum opera Thermæ corruerint. Nam vt ab omni Deorum cultu, & ſuperſtitione liberæ eſſent, magnam certè peccandi occaſionem iis, qui ſe ad eas contuliſſent, afferebant. De quibus

„ Apuleius. *Nudati* (inquit) *& flamma largisſi-*
„ *ma vapore recreati, calidaq; perfuſi, & oleo perun-*
„ *cti menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.*

Sed & antiqui operis ſtatuas illic non defuiſſe

H que

quę vel ad ſuperſtitionem, vel ad laſciuiam homines inuitarent Poetę cuiuſdam Græci carmen teſtatur.

Ἥν τό πάρος φιλέεσκες Ἄρες σκοπίαζε κυθήρην
ενθάδε λουομένην νάμασι φαιδροτάτοις
δέρκεο νυχομένην, μή δείδιθι. ου γάρ Αθήνην
παρθένον εισοράας οἷά τε Τειρεσίας.

Hæc nos, vt potuimus, Latina ſic fecimus

„ *Quam prius ardebas Venerem Mars aſpice Diuã.*
„ *Hic ſe dum puro flumine nuda lauat,*
„ *Aſpice nantem illam: nec iam vereare futurum, vt*
„ *Intactam aſpicias Pallada Tireſias.*

multæ igitur in balneis ad voluptatem illecebræ, multa luxurię irritamenta, quemadmodum his verbis teſtatur Seneca. *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulucrulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudateria, ac loca Aedilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, pallidam fucatam, & medicamentis pollinctam.* Hæc Seneca morum grauiſsimus magiſter. Sed & apertius Iuuenalis Satyra VI. nullam, turpitudinem abfuiſſe oſtendit a balneis, quippe quas viri & mulieres vna frequentare, & promiſcuas habere conſueuiſſent.

Bal-

„ *Balnea nocte ſubit: conchas & caſtra mouere*
„ *Nocte iubet: magno gaudet ſudare tumultu.*
„ *Cum laſſata graui ceciderunt brachia maſſa*
„ *Callidus & criſtæ digitos impreſſit Aliptes*
„ *Et ſummum dominæ femur exclamare coegit.*

Poſſem ad idem oſtendendum multa ex Martiale hic, adſcribere niſi me verborum obſcenitas, qua ille licenter vtitur, deterreret. Verecundius omnino Paulus Silentiarius. cuius epigramma non malum extat de promiſcuo virorum & mulierum balneo.

Ἄγχι μὲν ἐλπὶς ἔρωτος. ἑλεῖν δ᾽ οὐκ ἔστι γυναῖκας
Εἴργει πολλὴ παφίην τὴν μεγάλην ὀλίγη.
Ἀλλ᾽ ἔμπης, γλυκὺ τοῦτο. ποθοβλήτοις γὰρ ἐπ᾽ ἔργοις,
ἐλπὶς ἀληθείης ἐστὶ μελιχροτέρη.

Quæ nos cum iam inde ab adoleſcentia in totidem verſus ludentes conuerterimus, qualiacunque ſint, in hunc locum coniicere voluimus, vt qui Grecè neſciunt, ex his intelligant id, quod de balnearum licentia & laſciuia ſcribimus, non eſſe commentitium.

„ *Spes prope amoris adeſt. Sed nullam inuadere fas*
„ *eſt.*
„ *Arcuit ingentem portula parua Cyprim.*
„ *Hocce tamen dulce eſt. reij ſpes nanque cupitæ,*
„ *Quam res ipſa animo ſuauior eſſe ſolet.*

Sed in re tam clara quid opus eſt Poetarum teſtimoniis vti, cum Clemens Alexandrinus prę-ſto ſit, qui Cap. V. Libri III Pædagogi mulieres ſcribat ſpectari nudas in balneis conſueuiſſe, cum ſe in iis exuere, & ſui inſpiciendi poteſtatem facere illis, qui ſe eò lauatum contulerant, tanquam quibuſdam corporum cauponibus non erubeſcerent. itaque fiebat, vt cum viris & fœminis communes eſſent balneæ, ibi omnes omnem temperantiam exuerent, quando ex ipſo potiſsimũ aſpectu amor in hominib. excitatur. quẽadmodũ teſtatur Cyprianus in eo libello, quem
„ de habitu Virginum ſcripſit, *Quid verò (inquit)*
„ *quæ promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidi-*
„ *nem curioſis pudori & pudicitiæ corpora dicata pro-*
„ *ſtituunt, quæ cum viros, atque à viris nudæ vident*
„ *turpiter, ac videntur, nonne ipſa illecebram vitiis*
„ *præſtant? nonne ad corruptelam & iniuriam ſuam*
„ *deſideria præſentium ſollicitant, & inuitant?* Hæc vir ille ſanctiſsimus, quæ, quàm turpiter & flagitioſe balneę frequentarentur, oſtendunt, verius vt impudicorum impudicarumque celeberrimi conuentus dici poſſent, quam ſudoris & corporis ſordium lauacrum. neq; enim corpora tantum lauabantur, quantum inquinabantur animi, & in omnem turpitudinem prę̨cipites ferebantur.

Quam-

 32

Quamquam autem & Imperatoriis & Cenſoriis legibus cautum aliquando fuit, ne fœminæ cum viris lauarent, ne'ue promiſcuis balneis cum viris vterentur, eſſentq; balneæ ſeparatim exædificatæ, quas illæ tantum adirent, tamen quia leges in deſuetudinem abeunt, & tacito conſenſu obliterantur, & ſibi indulgendo homines licentiores fiunt, ſatius omnino fuit huiuſmodi loca funditus euertere, quàm occaſionem tam improbè peccandi liberam relinquere. Non poſſum igitur ſatis mirari eorum prudentiam, & ſanctitatem Pontificum, quicunque ij fuerint, qui Caracallæ, qui Diocletiani, qui Conſtantini aliorumq; Thermas, & balneas euertendas curauerunt, ſedes ſcilicet, & latebras luxuriæ, intemperantiæ, & flagitiis conſecratas. Non eſt igitur dubitandum quin talium ędificiorum euerſio & vaſtitas, quando neque Gotthis, neque Vandalis, neque Germanis attribui poteſt eorum, opera conſecuta ſit, qui, Chriſtiani cum eſſent, huiuſmodi ſcelera ferre, neque poterant, neque debebant. Quod autem ad Aquarum ductus pertinet, vt hæc quoque ad ea, quæ ſuperius diximus, addamus, alia omnino cauſſa eſt, quamobrem pleriſq; in locis dilapſi corruerint. Etenim ſubſtructiones illę multis erant per ſe ſe incom-

modis, & periculis obnoxiæ, quando aut vetuſtate, aut vi tempeſtatum, aut gelicidiis, aut caloribus expoſitę dilabuntur: aut ſuccreſcentibus arborum radicibus laxantur. Interdum etiam qui prædia aquæductibus propinqua incolunt,& lateres, & ſaxa ex iis ad ædes ruri exędificandas, vel ad aquam ſuffurandam eximunt, qua ſuos ipſi hortos & prata irrigent. ex quo fit, vt, proxima quę ſunt, commoueantur, & ruinam ſtruant. Itaque ad huiuſmodi Ductuum tutelam Villici, Caſtellarij, Curatores, Silicarij, Tectores, aliiq; opifices adhibebantur: magnuſque prȩterea cuſtodum numerus, qui duabus familiis continebatur, altera publica, altera Cęſaris: vt ad eos alendos & annuis penſionibus & ſalariis proſequendos immenſos ſumptus fieri oporteret. Atque hoc qui ſibi copioſius explicari voluerit, is librum Iulij Frontini de Aquæductibus ſecundum conſulat. ex eo enim intelliget huiuſmodi ſubſtructiones non niſi incredibili impenſa ſeruari integras poſſe. Vt Repub. & ad inopiam, & ad ingentem incolarum, & ciuium paucitatem redacta, neceſſariò corruerint; cum prȩterea nemo eſſet, qui eas aut ab iniuriis, quas ſupra commemorauimus, tueretur: aut aliquo caſu labefactatas, & collapſas reſtitueret,

ret, id quod florentibus etiam Populi Romani rebus non ſemel accidiſſe ex multis inſcriptionibus cognoſci poteſt.. quæ cum omnibus in promptu ſint, nihil neceſſe eſt, vt hic à nobis recitentur. His ad hanc rationem abſolutis, ſupereſt, vt ea diſputatione ſcriptionem hanc noſtram terminemus, quę ad Obeliſcos potiſsimum pertinet. Nam ſi illi ad tollendam ſuperſtitionem, cum Diis dicati eſſent, Pontificum iuſſu euerſi ſunt, quæ cauſſa fuit, quamobrem iidem Pontifices Obeliſco Vaticano pepercerunt? quem ſuo loco ſtantem vidimus ne tantulum quidem vlla ex parte læſum? neque enim exiſtimare poſſumus cæteros Obeliſcos vel terręmotu, vel fulmine deiectos eſſe, cum vectium, & ferramentorum veſtigia, quibus euerſi ſunt, adhuc exiſtant in infimę partis lateribus, quę baſim ſpectant. Hic, quamquam hiſtoria nos nihil adiuuat, ex hiſtoria tamen ea petemus, quibus coniecturam noſtram fulciamus, & quo ad à nobis fieri poterit, proxime ad veritatem accedamus. Nemo autem eſt, qui ignoret, tum Gregorium, tum Pontifices, qui eum vel anteceſſerunt, vel conſecuti ſunt, permultos, Imperatorum Byzantinorum potentiam vſq; adeò ſemper pertimuiſſe, vt magnopere cauerint ne

qua

qua in re illos læderent. quando eorum nonnulli per ſumniam iniuriam Roma euocati, vel in carcerem coniecti ſunt, vel in exilium miſsi, cum alij permulti, tum Ioannes, Syluerius, Vigilius, & Martinus eorum nominum primi. Quòd itaque vererentur, ne qua in re apud eos Imperatores offenderent, ſatis habebant ea ædificia, & moles excidere, quę ſumma ipſorum Imperatorum voluntate extingui poterant. cuiuſmodi fuerunt Theatra & Balneę; quę, cum impie peccandi materiam hominibus ſubminiſtrarent, à Chriſtianis Imperatoribus facile impetratum eſt, vt tollerentur. id quod iis etiam Obeliſcis contigiſſe probabile eſt, qui, Gentilitatis cultui, & ſuperſtitioni dicati cum eſſent, ſummo Iuſtiniani, & cæterorum Imperatorum, qui Chriſtianę pietati ſe addixerant, conſenſu ſublati ſunt. ſcimus autem duos illos Obeliſcos, qui in Circo Maximo ſtatuti fuerant Soli vnum, alterum Lunę, vt ſupra diximus, fuiſſe conſecratos. id quod etiam de eo, qui in Hortis Salluſtianis ſpectabatur, memorię proditum fuit, idemq; de cęteris exiſtimari par eſt: vt in Commentariolo illo noſtro de Obeliſco demonſtrauimus. At Obeliſcus Vaticanus Auguſto D.F. ac Tiberio Impp. ex ipſa Inſcriptione à Cali-

gula

gula dicatum fuiſſe conſtat, vt,cum nulla ſuperſtitionis veſtigia in eo reſiderent, deiiciendi eius cauſſam Pontifices non habuerint. Cęſarum itaque nomen fuiſſe, quod illum integrum, atque incolumem ſeruauit, veriſimile eſt: quemadmodum etiam Traiani, & Antonini columnas Cochlides, triumphales Arcus Titi, Domitiani, Seueri, Gordianorum. ad quorum euerſionem nihil omnino erat, cur Pontifices magnopere incitarentur. Atque hæc de Obeliſcis, quę mihi maxime probabilia viſa ſunt. Nunc quoniam à multis quæri video, quò pertineant ea quadrata Caua, & à quibus facta ſint, quæ in Amphiteatro, nonnulliſq; aliis publicis ædificiis plurima exiſtunt, non inuiti coniecturam noſtram hic apponemus. Extant Epiſtolę Caſsiodori duę Theoderici regis nomine ſcriptę: Vna ad Senatum Vrbis Romę: Altera ad Symmachum Patritium. In hac ſaxa inter ſe ſic eſſe commiſſa ſcribit, vt, cum commiſſurę non appareant, tota illa moles natura extitiſſe videatur: In illa verò ad Senatum, Aeris non minimum pondus, &, quod propter mollitudinem diripi facillimè potuit, è mœnium ornatu plumbum fuiſſe exemptum queritur. Siquis igitur coniecturę locus eſt, non inepte,

vt

vt mihi quidem videtur, nec ſine argumento exiſtimari poterit huiuſmodi Caua, quando omnia propemodum in lapidum commiſſuris ſunt, & ad commiſſuras cotegendas, & ad ædificiorum, & immanium illarum ſubſtructionum ornatum ſic ære, & plumbo fuiſſe obſtructa, vt ſpectantium oculis mirabiliter affulgerent. Vale Romę Id. Maij CIↃ IↃ LXXXVII.

F I N I S.

F L O R E N T I AE
Apud Bartholomæum Sermartellium.
M D LXXXIX.

Erratа ſic corrigito.

9	22	Siculos	Siculus
9	22	quia	quin
7	22	aſſentiendum eſto	aſſentiendum. eſto.
8	26	παϱηκολοϛϑα	παϱηκολοῦϑα
19	25	momanum	Romanum
26	3	Eudoxia	Eudoxiam
29	25	videatus	videatur.
58	19	ſudateria	ſudatoriā.

Digitized by Google